De Victore Vitensi episcopo.

Dissertatio inauguralis
historica theologica

quam scripsit

et

Reverendissimi Theologorum Catholicorum Ordinis

in

Alma Litterarum Universitate Viadrina

Consensu et Auctoritate

pro gradu

Doctoris SS. Theologiae

rite capessendo

die X. m. Julii a. MDCCCIC. hora XII.

in Aula Leopoldina

publice defendet

Albertus Schönfelder,
parochus in Rentschen.

Adversariorum partes suscipient:

Guilelmus Hoffmann, parochus in Polnisch-Neudorf;
Victor Bohn, curatus ad St. Dorotheam Vratislaviae.

Vratislaviae,
Typis R. Nischkowsky.
MDCCCIC.

Reverendissimo atque Illustrissimo Domino

Praelato Infula Ornato

Hugoni Laemmer

Philosophiae ac SS. Theologiae Doctori,
Theologiae Catholicae in Universitate Vratislaviensi Professori
Publico Ordinario

Protonotario Apostolico,

Equiti Coronae II. Classis,

Equiti Aquilae Rubrae III. Classis cum Lemnisco,

Cet. Cet.

Magistro et Praeceptori Celebrato Praedilecto

Hoc opusculum et eximiae admirationis et verae pietatis signum sacrum esse voluit

Auctor.

Index.

		pag.
I.	De editionibus historiae	1
II.	De partitione et elocutione historiae	5
III.	De vita auctoris	8
IV.	Quo anno et loco Victor historiam composuerit	18
V.	Quem ad finem Victor scripserit	26
VI.	Quae fides Victori habenda sit	28
VII.	De ‚libro fidei' historiae inserto	40
VIII.	De ‚Notitia' quae vocatur	45

I.

De editionibus historiae.

Victoris Vitensis historia pari industria ab historicis, philologis, theologis legitur, id quod multis historiae libris typis impressis demonstratur. De libris autem manuscriptis, qui mihi praesto non erant, agere omitto, quoniam Michael Petschenigius, ultimus historiae nostrae editor, duo genera illorum copiosissime descripsit[1]). At vero cum Ferrerius, qui ultimus de scriptore nostro disseruit (Paris 1898), nonnullas editiones typis impressas nescire videatur (pag. 11 sq.), non absque aliquo commodo erit, omnes editiones historiae hic prima vice recensere.

Apud Fabricium (Biblioth. lat. tom. V. p. 585) solum legi, historiam persecutionis Vandalicae primum Coloniae anno 1518 prodisse. Atqui Halmius in Monumentis Germaniae historicis[2]) haec contendit: ‚Editio princeps Parisiis ab Jano Parvo (Jean Petit) Ludovico XII. regnante impressa est. Sequitur in ea post passionem VII monachorum, quae in omnibus libris manuscriptis Victoris historiae adnexa est, sermo de S. Cypriano, ut in codice Bruxellensi. Editio Parisina bibliographis et editoribus Victoris ignota mansit, qui omnes, ut hoc statim moneam, Victoris historiam primum a Beato Rhenano editam esse existimant‘. Quem errorem etiam apud Lironium[3]) invenimus. Secundus Victoris historiam Beatus Rhenanus inter alios historiae ecclesiasticae auctores Ba-

---

[1]) Sitzungsberichte der philos.-hist. Classe d. Acad. d. Wissenschaften. 96. Band. Wien 1880, p. 637 sqq.: Die handschriftliche Ueberlieferung des Victor von Vita, von Dr. Michael Petschenig.

[2]) Auctorum antiquissimorum tomi tertii pars prior. Victoris Vitensis historia. Berolini 1879 p. V—IX.

[3]) Migne, s. l. 58 p. 151: Rhenanus . . . fit imprimer pour la première fois . . .

sileae anno 1535 in officina Hieronymi Frobenii edidit cum privilegio Imperatorio ad annos quattuor. Ea editio iterum anno 1539 et tertium anno 1544 impressa est. Eadem auctorum collectio Parisiis excusa est anno 1541 typis Galeoti Pratensis. Tertiam editionem Reinhardus Lorichius Hadamarius curavit eique hunc titulum praefixit: ‚Historia persecutionum, quas in Aphrica olim circa D. Augustini tempora Christiani perpessi sub Genserycho et Hunerycho Vandalorum regibus. Cui inserta est piissima Eugenii Carthaginiensis episcopi Confessio fidei sanctae Trinitatis. Item, alia Rebaptistarum opiniones redarguentia. Autore beato Victore Episcopo patriae Uticensis. Coloniae apud Eucharium an. 1537 mense Aug.‘ De qua editione Halmius (p. IX) haec profert: ‚Reinhardus Lorichius, qui eam curavit, in epistola ad Eberhardum a Dann, arcis Wartburgicae et Isenacensis urbis praefectum, praefixa ita loquitur, quasi Victoris historiam primus ediderit; ait enim: Scio, vir clarissime, te valde miraturum, quae causa fuerit, cur ego [cui necessitudo vel aliqua tecum non intercedat] hanc Africanae persecutionis historiam a tinearum quibus arrodi videbatur, iniuria vindicatam voluerim sub auspicio tui nominis in publicum prodire. — Haec verba eum facere non potuisse, si editionis Beati Rhenani, quae duobus ante annis prodiit, notitiam habuisset, ut per se patet, ita ex recensionis diversitate elucet; nec tamen illum Victoris libellum ex codice manuscripto tineis arroso deprompsisse, sed ex rarissima editione Parisina, utroque exemplo accurate inter se comparato, ex certissimis indiciis intelleximus.‘ Altera eiusdem Lorichii editio Basileae prodiit anno 1541, typis Bartholomaei Westhemari. Jam antea, anno 1539, Basileae apud Frobenium in Autoribus[1]) historiae ecclesiasticae ‚Historia persecutionis Africanae provinciae temporum Geiserici et Hunerici regum Vandalorum autore Sancto Victore episcopo Vitensi‘ impressa est. Anno 1551 Basileae Victoris libri tres de persecutione Vandalica cum passione s. septem monachorum prodierunt in Orthodoxographis theologiae sacrosanctae ex officina Henrici Petri. Anno 1569 novam Victoris editionem Parisiis curavit Franciscus Balduinus eamque primus omnium commentariis locupletavit. In capite XIV. praefationis Ruinarti[2]) legimus, Margarinum Bignium Parisiis anno 1576

---

[1]) p. 621—672. [2]) Migne, s. l. 58 p. 150.

atque iterum anno 1589 Bibliothecam sanctorum Patrum, edidisse, in qua historia nostra exstat, sicut et in Coloniensium editione et in aliis eiusmodi sanctorum patrum collectionibus, quae deinceps in lucem prodierunt. Anno 1548 ‚historia persecutionis Africanae provinciae temporum Geiserici et Hunerici regum Vandalorum autore Sancto Victore episcopo Vitensi' edita est Antwerpiae in aedibus Joannis Steelsii inter alia historiae ecclesiasticae monumenta. Eam editionem ex editione Beati Rhenani fluxisse, et utroque exemplari comparato et ex eo apparet, quod Steelsius eadem prorsus verba ad lectorem facit, quae Rhenanus: ‚Caeterum Africanam Victoris historiam vel in hoc perlegisse proderit, quo vix aliud exemplum ad deterrendum a religionis sectis sit efficacius: quod ibi sub oculos ponatur, quam dira atque infanda Christiani in Christianos perpetraverint, dum Barbari suo in Romanos odio morem gerentes religionis praetextu in illos saeviunt.'

Victoris Vitensis et Vigilii Tapsensis provinciae Bizacenae episcoporum opera Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis Iesu presbyter vindicavit restituit complevitque ex antiquis codicibus, et notis illustravit anno 1664 Divione (apud viduam Philiberti Chavance). In appendice (p. 95) Chiffletius affert, quae Gregorius Turonensis de S. Eugenio Carthaginiensi episcopo narrat. Theodericus Ruinartus, presbyter et monachus Benedictinus e congregatione Sancti Mauri in abbatia S. Germani a Pratis, Parisiis anno 1694 insignem historiam persecutionis Vandalicae in duas partes distinctam in publicum edidit. Hoc opus Ruinartus abbati suo Guillelmo Egoni S. R. E. Cardinali lantgravio de Furstemberg, episcopo et principi Argentoratensi dedicavit. In historia Ruinartiana prior pars Victoris Vitensis historiam aliaque nonnulla monumenta complectitur subsequentibus notis et observationibus. ‚Altera vero pars historiam totam huius persecutionis ita continenter scriptam exhibet, ut interdum interferantur vetera scripta, sed quae historiae filum minime interrumpunt' (praef. c. II.). Operis Ruinartiani prima Veneta editio anno 1732 impressa est. Ad editionem Ruinarti redit textus, quem reperimus in patrologia Migniana, Parisiis 1847, ser. lat. tom. LVIII, atque Hurteriana, SS. Patr. opuscula selecta, tom. XXII, Oeniponti 1873, p. 100—252. Nova praecedentibusque multo melior editio exstat in Monumentis Germaniae historicis in auctorum antiquissimorum tomo tertio, in parte priore, cui hic titulus praefixus est: ‚Victoris

Vitensis historia persecutionis Africanae provinciae sub Geiserico et Hunerico regibus Wandalorum, recensuit Carolus Halm, Berolini apud Weidmannos 1879'. Hanc historiam sequitur passio VII martyrum et notitia provinciarum et civitatum Africae. Halmius editionem suam quattüor indicibus locupletavit, qui sunt index locorum citatorum, index geographicus, index nominum et rerum, index verborum et locutionum. In horum ultimo Halmius vocabula rara interpretatus est atque nonnullos locos obscuriores explicuit. In commentatione mea locos historiae secundum editionem Michaelis Petschenigii citabo, quae reperitur in volumine septimo Corporis scriptorum ecclesiasticorum latinorum editi consilio et impensis academiae Litterarum Caesareae Vindobonensis. Titulus huius editionis est: ,Victoris episcopi Vitensis historia persecutionis Africanae provinciae, recensuit Michael Petschenig. Accedit incerti auctoris passio septem monachorum et notitia quae vocatur. Vindobonae apud C. Geroldi filium bibliopolam academiae 1881'. Petschenigius ad textum constituendum novem libros manu scriptos contulit et praeterea lectiones Berolinensis et Bruxellensis codicum, quibus Halmius usus est, in suum usum convertit. Quam ob rem apparatus criticus apud Petschenigium uberior est quam apud Halmium. Accedit, quod ille nonnulla errata in lectionibus Halmii repperit et emendavit. Tamen editio Vindobonensis antecedentem non multo antecellit. Neque enim erat, cur Petschenigius saepius a textu Halmii abiret, cum recte Halmio assentiretur, alterum genus codicum, ad quod septem codices pertinent, esse sincerius et alteri anteponendum. Sed iure Petschenigius in textu libri fidei constituendo (p. 46—71) codici Laudunensi minus auctoritatis tribuit quam Halmius. Codex autem Laudunensis n. 113 nihil aliud continet atque librum fidei, qui etiam in Victoris libris manu scriptis reperitur, et notitiam, quae vocatur, provinciarum et civitatum Africae. Hic catalogus solo in codice Laudunensi superest. Nam codex Ludovici Halleri de Hallerstein, quo Abrahamus Ortelius in thesauro geographico usus est, non iam exstare videtur. In Petschenigii editione tres indices exstant: index locorum scripturae sacrae, index nominum et rerum (exclusis nominibus, quae in Notitia Africae continentur), index verborum et locutionum. Primus index cum Halmii tum Petschenigii locos s. scripturae Ies. 6, 3 (II 100) et Hebr. 1, 14 (III 67) omittit. Editor Vindobonensis nimis audacter nonnullas coniecturas in textum

recepit, ex. gr. I 20 ‚*spurcitia*', II 34 ‚*callium*', II 36 ‚*exultat*', III 8 ‚*clericos*'. Denique non intelligo, cur in hist. I 33 lectionem ‚*ferus*' praetulerit.

Historia nostra in diversas linguas translata est. Atque primum Gallice prodiit anno 1563 opera Francisci Belforestii, Parisiis apud Gabrielem Buon; et anno 1664 altera in eadem urbe, ab illustrissimo Arnaldo Andillio procurata. Ad haec Anglice edita est anno 1605 (cf. Ruinarti praefat. l. c.). Versio Belgica, von vervolginghe der Chrissenen in Africa door de Vandalen, prodiit Antwerpiae anno 1568 (cf. Fabricium p. 585). In nostram vernaculam Victoris historiam vertit Zinkius a. 1883, libro fidei excepto. Totam autem historiam Adam Mally transtulit, Vindobonae anno 1884, ut demonstraret (p. VII praefat.), ecclesiam catholicam illius temporis idem ac ecclesiam nostri saeculi docuisse. In transferendo nonnunquam erravit, ex. gr. hist. II 8 ‚suggerunt de illo, ut suum nequaquam sederet thronum neque dei populo uerbum faceret consuetum' falso vertit: ‚Sie sagten ihm nach, dass er niemals feierlichen Gottesdienst halte, und dass er das Predigtamt vernachlaessige' (p. 31), cum sensus in contrarium hic sit: ‚student, ut throno deiceretur, quod munus suum efficacius administrabat, quam optabant'. Talis autem error apud Zinkium nunquam occurrit. Quapropter sententiam Ladewigii non probo qui in periodico Jahresbericht der Geschichtswissenschaft (1883 VI. Jahrgang. Berolini 1888. II, 13) haec profert: ‚Von Victors von Vita Chronik giebt eine herzlich unbedeutende Uebersetzung und Vorrede Zink.'

II.

De partitione et elocutione historiae.

Victor Vitensis in historia sua narrat calamitates et vexationes, quas Africani catholici Vandalorum regibus Geiserico et Hunerico persequentibus perpessi sunt. Erraret igitur, qui in opere eius continuam historiam Vandalorum inde ab anno quadringentesimo vicesimo septimo, quo in Africam irruperunt, usque ad annum quadringentesimum octogesimum quartum, quo Hunericus rex obiit, tradi censeret. Nam permultae res ab illis gestae silentio praetermittuntur, quoniam Victor non nisi de ‚persecutione Africanae

provinciae' scribere vult. Nihilominus hic liber, ut Papencordtii verbis utar (Gesch. d. vand. Herrsch. in Africa p. 370), est monumentum luculentissimum latinum historiae Vandalorum.

Pro duobus illis regibus historia apte dividitur in duas partes, quarum prior calamitates Africanorum usque ad mortem Geiserici, altera persecutionem ab eius successore Hunerico motam tradit. Victor ipse opus suum in plures libros partitus esse non videtur, de qua re confer Chiffletium (Migne, s. l. 58, p. 130). Quoniam Victor de Hunerici aetate fusius narrat quam de Geiserici, secunda pars libri copiosior est atque apte in duas partes dividitur, ita ut editiones usque ad Chiffletium vulgatae pleraeque et novissima utraque editio tres libros exhibeant, quorum primi argumentum est: Geiserici persecutio; secundi: initia persecutionis Hunerici et professio fidei catholicae regi oblata; tertii: Hunerici decretum adversus catholicos eiusque decreti executio crudelissima. Chiffletius, Ruinartus, Hurter historiam nostram in quinque libros dividunt. Primus liber de Geiserico agit, alter de Hunerico usque ad collationem episcoporum; tertius libellum fidei exhibet, quartus edictum Hunerici, quintus executionem huius decreti. Conspectum rerum a Victore narratarum exhibet Mally (l. c. p. 153—159).

Historia Victoris genuina incipit a verbis: ‚*Sexagensimus nunc*'. De prologo ‚*Quondam ueteres . . . picturare*' Petschenigius recte disseruit in libro citato ‚Sitzungsberichte etc.' (p. 727—732). Vir litteratus totum prologum Victori abiudicat. Argumentum praecipuum est, quod triginta quattuor verba prologo peculiaria apud Victorem non occurrunt, cum totus prologus non plus quam 216 verba contineat, si locos ex s. scriptura citatos omittimus. Ebertus (Allg. Gesch. d. Litt. d. Mittelalters, editio secunda, I 457 adn. 1) scribit: ‚Die schwülstige Vorrede aber ist . . . bis auf den letzten Satz: Ego namque etc., das Werk eines andern, vielleicht ein Citat aus einem Briefe'. Poetzschius quoque (Vict. v. V. und d. Kirchenverfolg. im Wandalenreiche, p. XL) putat, prologum genuinum incipere inde a verbis illis ‚*Ego namque*', cum vox ‚namque' etiam apud Victorem sensum ‚autem, vero' habeat. Sed etiam in hoc prologi loco argumentum Petschenigii valet, cum duodecim verba huius parvae pericopae, quae septem tantum versus continet, apud Victorem non occurrant. Praeterea Victor nunquam in nominativo singularis (‚ego') loquitur. Quae post precationem (III 69, 70) Victoris de morte Hunerici narrantur

(III 71), a manu alia addita esse arbitror cum Halmio qui in adnotatione p. 58 contendit: ‚Quae post lamentationen (§ 64—70) de Hunerici morte adiecta sunt, postea addita videntur, ut recte monuit Ebert‘.

Victor genere dicendi non excellit. Papencordtius quidem haec contendit: Die Sprache Victors ist sehr rauh und ungebildet, die Anordnung ohne alle Kunst, voll von Wiederholungen‘ (p. 370). Atque Halmius (praefat. X.) sermonem Victoris plebeium et dictionem saepius obscuram esse censet. Petschenigius (praefat. XIII) queritur, Victoris sermonem tam rudem atque agrestem esse, ut bonae latinitatis vestigia supersint paene nulla. Bardenhewer (Patrologie p. 572) scribit: ‚(Victor) schildert in recht grellen Farben und redet eine wenig gebildete Sprache‘. Alii de stilo Victoris mitius iudicaverunt. Du Pin (Nouvelle biblioth. d. aut. eccl., Paris 1693, IV 255) asserit Victorem scribere ‚d'une manière très-simple et très-touchante‘. Josephus Nirschlius (Lehrbuch, 1885, III 314) dicit: ‚Die Schilderung ist einfach, anschaulich und lebendig‘. Eberti sententia: ‚Der in einem verhältnissmässig einfachen, wenn auch häufig nicht correcten Stile geschriebenen Erzählung fehlt es keineswegs an Lebendigkeit und Fluss‘ (p. 457) placet quoque Zinkio (p. X). Omnium uberrime et rectissime Ferrerius de genere scribendi Victoris disseruit (p. 75—175). Ut ille docet, Victor latinitate saeculi quinti depravata utitur, cum crebro formas, genera sensumque vocabulorum mutet, pluralem numerum pro singulari, nomina abstracta pro concretis ponat, falso casus grammaticos atque verbi modos temporaque adhibeat, consecutionem temporum neglegat, et alia. Quae quidem Ferrerio ‚idcirco videntur consideratione digna, quia idem ille scriptor plebeius, styli laudem affectavit, et multa rhetoricae artis usurpavit instrumenta. Quis dicat, qua ratione fieri potuerit ut, in Victoris libro, neglecta et abiecta plebeii sermonis verba rhetorico vel poetico more concinnarentur, et in iisdem locis et vulgi licentia et rhetorum disciplina appareret?‘ Hoc non miror, quandoquidem auctor homines alloquitur, quorum plerique nullam nisi hanc evanescentem latinitatem noverant. Stilo autem artificioso uti studet, ut eo magis animos lectorum commoveat. Sed non eodem semper modo fluit Victoris elocutio. Namque in aliis partibus historiae res gestas narrat, in aliis queritur, in aliis exsultat, in aliis orat. Bene quidem Victor in utroque capite ultimo libri

tertii (§ 64—70) personam prophetae Ieremiae in ruderibus Hierosolymorum sedentis induit et Africam omnibus ecclesiis desolatam deplorans historiam pathetice absolvit. Reliquum est, ut demonstrem, Victorem, quamvis latinitate utatur decrepita, tamen magnam curam operamque in eo consumere, ut aures lectorum clausula numerosa mulceat. Clausulas enim terminare solet pede ditrochaeo, dispondeo, cretico cum sequente trochaeo vel spondeo. Atqui nonnunquam finem hexametri adhibet, qui Quintiliano displicet (cf. institutiones orator. IX. 4, 75). Ex. gr. ultimam historiae paragraphum affero: *Sed scimus quia indignum est nobis pro nobis orare* (´ ¯ ¯̀ ¯́ `), *quia ista* (¯́ ˘ ¯́ ˘), *quae uenerunt nobis ad probationem* (´ ` ´ ˘), *non quomodo sanctis* (´ ` ` ¯́ `). *sed malis meritis supplicia debebantur* (¯́ ¯ ´ ˘). *Sed et pro malis orate iam filiis* (¯́ ˘ ¯̀ ¯́ ˘ ¯̀), *quia et Christus orauit etiam pro inimicis Judaeis* (¯́ ¯ ´ ). *Sufficiant castigationi* (¯́ ˘ ¯́ ¯) *quae iuste inlata sunt nobis* (´ ˘ ` ¯́ `), *et iam iamque delinquentibus uenia postuletur* (¯́ ˘ ¯́ `); *dicatur angelo percutienti* (¯́ ` ˘ ´ `): *sufficit, iam cohibe manum tuam* (¯́ ` ¯̀ ´ ¯). *Quis ignoret haec nobis probrorum nostrorum scelera procurasse* (´ ` ´ ˘), *aberrantibus a mandatis dei et in lege eius nolentibus ambulare* (´ ` ¯́ `)? *Sed prostrati rogamus* (´ ¯́ `), *ut non spernatis uestros miseros peccatores* (¯́ ` ´ ¯), *per eum, qui uos ad apostolicum culmen prouexit humiles piscatores* (¯́ ¯ ¯́ ¯).

III.

De vita auctoris.

Dolendum est, quod neque Pseudo-Gennadius, quippe qui in capite nonagesimo septimo libri de scriptoribus ecclesiasticis aequalem Victoris Eugenium episcopum Carthaginis laudet (M 58, 1116 sq.), neque Gennadii continuatores cum ipso Johanne Trithemio abbate Spanheimensi quidquam de nostro historico memorant. Ita fieri potuit, ut viri docti, antequam editio princeps prodiit, ipsum nomen civitatis Vitensis ignorarent. Cumque nomen Vitae non nisi in superscriptione codicum historiae nostrae legeretur, plerique editores posteriores Victoris sedem in Uticensem depravaverunt. Sed postquam Sirmondus notitiam provinciarum et civitatum Africae edidit, ex qua patet, Hunerici temporibus

episcopo Uticensi nomen fuisse Florentinum et Vitensi episcopo nomen Victorem, omnes ad auctoritatem codicum reversi historiam nostram Victori episcopo Vitensi adiudicaverunt. Verum Johannes Lironius, o. S. Ben. congr. S. Mauri Carnotensis, in dissertatione Gallica, Parisiis a. 1708, quam Mignius (58, 151—178) denuo excussit, demonstrare conatus est, nostrum historicum nomine Victorem fuisse temporibus regis Hunerici presbyterum Carthaginiensem, sed anno 487 in episcopatu Vitensi Victori illi successisse, qui in Notitia Sirmondi inter episcopos Byzacenos quadragesimus quartus ponitur. Atque Augustus Auler*us* in commentatione de Victore Vitensi, quae reperitur in libro Arnoldo Schaefer dedicato, Historische Untersuchungen, p. 253—276, Lironium in multis rebus secutus haec profitetur: ‚Victor, der Verfasser der historia persecutionis Africanae provinciae, geboren wahrscheinlich in der afrikanischen Provinz Byzakena, war schon unter Genserich nach der Plünderung Roms durch die Wandalen 455 Kleriker an der katholischen Kirche zu Karthago. Unter Hunerich nahm er daselbst eine bedeutende Stellung ein. Bischof Eugenius scheint ihn in wichtigen Geschäften gebraucht zu haben, und sehr wahrscheinlich handelte er bei der Verbannung der 4966 Kleriker im Auftrage des Metropolitans von Karthago. Dort finden wir ihn im Mai 483, als das Einladungsschreiben des Königs Hunerich zum Religionsgespräche 484 in der katholischen Kirche im Beisein des byzantinischen Gesandten verlesen wurde. Dem Gespräche selbst hat er nicht beigewohnt. Während nach demselben der ganze katholische Klerus von Karthago verbannt wurde, verblieb Victor aus unbekannten Gründen in der Metropole, wo er während der ersten Jahre der Regierungszeit Gunthamunds noch vor 487 sein Werk niederschrieb. Später wurde er Bischof; wo, ist unbekannt‘ (p. 274 sq.).

Zinkius (p. II.) coniecturae Aulerianae acquiescit: ‚Ich muss gestehen, dass die Liron-Auler'sche Beweissführung, die ich hier nicht im einzelnen wiederholen will, viele Wahrscheinlichkeit für sich hat. Wir werden also anzunehmen haben, dass Victor schon längere Zeit unter Geiserich, und weiterhin unter Hunerich und Gunthamund als Kleriker in Karthago thätig war und erst später, wann und wo, ist ungewiss, zur bischöflichen Würde gelangte‘.

Nirschlius (III, 313), etsi Lironium secutus censet historicum nostrum fuisse presbyterum aetate collationis Carthaginiensis

anni 484 atque brevi postea esse factum episcopum, tamen in adnotatione secunda adversus Aulerum sententiam defendit, Vitam fuisse eam civitatem, in qua Victor noster et natus et episcopus factus sit. Poetzschius (p. II) in sententiam Auleri discedit contendens, Victorem Carthagine Geiserico, Hunerico, Gunthamundo regnantibus dignitatem ecclesiasticam, posterioribus autem annis in oppido nobis ignoto sedem episcopalem possedisse. Cuperus Lironii sententiam non amplexus ex eo, quod scriptor historiae se in narratione electionis Eugenii episcopi a populo distinguit et praeterea saepius indicat sese aliis episcopis familiariter adstitisse, concludit eum tunc episcopum Vitensem fuisse, atque argumentum Lironii praecipuum — duo Victores Vitenses, quorum unus alteri successit, sunt distinguendi ea de causa, quod historicus noster saepe Carthagine et alibi vixit, id quod in episcopum Vitensem non cadit, quippe qui in dioecesi sua manere deberet — hoc modo labefactare studet: ‚Potuit enim unicus S. Victor Vitensis dioecesim suam relinquere propter varias iustasque rationes; puta, quod praevideret certum captivitatis aut exsilii periculum, si in sua dioecesi mansisset. Cum autem in ecclesia sua ab hostibus Arianis tutus non esset, forte voluit vir sanctus illas Africae provincias ignotus et occultus peragrare, in quibus procella persecutionis acrius desaeviebat, ut Catholicos in fide confirmaret, et vexatis Christi confessoribus opem ferret . . . . . In antiqua Notitia . . . diserte legimus, Victorem Vitensem anno 484 in collatione Carthaginiensi non occurrisse. Certe haec eius absentia optime congruit cum Historia Wandalicae persecutionis, in qua S. Victor nullum verbum facit de sua ibidem praesentia, licet illam in aliis rebus gestis exprimere consueverit. Itaque cum Tillemontio in Monumentis ecclesiasticis tomo XVI p. 597 probabiliter existimamus, S. Victorem Vitensem numerandum esse inter viginti octo istos praesules Africae, qui clam fugerunt‘ (Acta Sanct. Aug. IV. p. 630). Lironius vero, postquam p. 162 docuit auctorem historiae nostrae fuisse in collatione Carthaginiensi, sed Victorem Vitensem, quem habet Notitia, non fuisse, in articulo sexto (p. 165 sq.) tuetur, suam coniecturam esse necessariam, ut historia Victoris cum notitia illa episcoporum concordet. Sed conicio neque Lironium neque Cuperum neque ceteros, qui adhuc de Victore Vitensi disputaverunt, de illa quaestione, num historicus noster collationi Carthaginiensi interfuerit, verum investi-

gavisse. Omnes enim adhuc viri docti illam phrasim ‚*non occurrit*', quae nomini Victoris Vitensis in notitia provinciarum et civitatum Africae apponitur, ita interpretabantur, ut dicerent, memoratum episcopum non occurrisse ad collationem episcoporum. Ex. gr. Papencordtius (p. 372) contendit: ‚die mit non occurrit bezeichneten waren bei der Unterredung von Karthago nicht erschienen'. At mihi inscriptionem illius Notitiae intuenti alia interpretatio placuit.

Inscriptio autem Notitiae haec est: ‚*Incipiunt nomina episcoporum catholicorum diuersarum prouinciarum, qui Carthagine ex praecepto regali uenerunt pro reddenda ratione fidei KL Februarias anno sexto* (octavo) *regis Hunerici.*' Ex inscriptionis verbis apparet, episcopos, quorum nomina in sequente Notitia habentur, Carthaginem re vera venisse. Auctor nostrae Notitiae tam accuratus est, ut eas quoque civitates enumeret, quae episcopo tum carebant. Sed hae civitates non in uno eodemque ordine cum ceteris enumerantur, sed sub alia inscriptione, quae est: ‚*Et cathedrae quae episcopos non habuerunt*'. (p. 127, 132). Itaque auctor Notitiae nomina eorum episcoporum, qui edicto regis non audientes Carthaginem non venerunt, non in eodem ordine cum ceteris enumerasset, sed sub hac fere inscriptione: ‚Nomina episcoporum, qui non venerunt'. Enimvero illud ‚*non occurrit*', quod iuxta nomen Victoris Vitensis in Notitia invenimus, non ad collationem spectat, sed ad exilium. Titulus quidem primae partis Notitiae est: ‚*Nomina episcoporum prouinciae proconsularis uel qui in exilium missi sunt*'. Qui titulus etiam ante ceteras provincias supplendus est, ex. gr.: ‚Nomina episcoporum prouinciae Byzacenae uel qui in exilium missi sunt.' (p. 123.) Adnotationes igitur, quae nominibus nonnullis episcoporum additae sunt, de eo agunt, num episcopus citatus in exilium sit missus et quem in locum sit exulatus. Quodsi apud nomen duorum episcoporum adnotatur ‚*non occurrit*', hac phrasi exprimitur, eos neque in exilium abiisse, quamquam ad exilium sunt destinati, neque periisse, neque fugisse, sed Carthagine mansisse. Ergo Victor Vitensis, qui in Notitia nostra reperitur, collationi Carthaginiensi interfuit. Quae cum ita sint, Lironii coniectura iam non est necessaria.

Restat ut doceam Lironii coniecturam esse futilem. Iam supra (p. 10) dixi, argumentum praecipuum Lironii esse a Cupero oppugnatum. Nunc singula, quae Lironius affert, discutiam.

Primum Lironius ex eo quod historicus noster Carthagine fuerit eo tempore, quo Hunericus rex ab Alexandro Zenonis imperatoris legato rogatus ecclesiae Carthaginiensi, ut proprium episcopum haberet, permisit (II 3), conicit, eum non fuisse episcopum Vitensem, sed clericum Carthaginiensem atque hanc thesim hoc modo stabilire conatur: ‚Eo tempore ecclesia Carthaginiensis a presbyteris gubernabatur. Quapropter non erat, cur episcopus alienae provinciae adesset. Neque tempus sufficiebat, hunc episcopum arcessere. Clerus autem Carthaginis proprium episcopum habere recusavit, ita ut Victor, qui electioni episcopi contradixit, unus ex clero illo esset. Denique in clericum Carthaginis quadrat, quod Victor tam accurate de Eugenii virtutibus factisque egerit‘ (p. 155, 156). Facile quidem concedo tum clerum Carthaginiensem episcopo orbatum populum gubernasse, id quod ex Hunerici edicto elucet: *‚uos hic . . . liberum arbitrium habetis in ecclesiis uestris missas agere uel tractare, et quae legis uestrae sunt quemadmodum uultis facere‘* (II, 4). Attamen Victor episcopus Vitensis tum Carthagine esse potuit, non solum ex ea causa, quam Cuperus protulit, sed etiam ideo quod audivit, Alexandrum legatum esse Carthagine, cum historici nostri interesse deberet, legatum imperatoris de statu ecclesiae Africanae instruere. Licet igitur edictum Hunerici fuerit inopinatum, certe inde ab Alexandri legati adventu usque ad populum convocandum et edictum illud in ecclesia promulgandum tempus satis sufficiens est interpositum, ut aliqui episcopi Carthaginem venire possent. Sin autem Victor historicus ex clero Carthaginis fuisset, illa verba *‚nobis praesentibus‘* (II, 5) erant superflua. Neque ex historia eruitur, clericos Carthaginienses fuisse, qui condicionibus Hunerici periculosis interpositis episcopum habere nollent. Immo vero illa Victoris verba *‚Si ita est, interpositis his condicionibus periculosis haec ecclesia episcopum non delectatur habere‘* (II 5) quadrant in episcopum, cuius auctoritas tanta erat, ut legato imperatoris talem suggestionem facere auderet. Atque si historici nostri verba *‚nobis praesentibus‘* cum superiore loco historiae *‚ut praesentia eius* (i. e. Alexandri legati) *catholicus populus dignum sibi peteret sacerdotem‘* (II 3) conferimus, patet Victorem nostrum non meliore iure quam Alexandrum clero Carthaginiensi adnumerari. Vix operae pretium est, redarguere hoc Lironii argumentum: ‚Victorem tam multa et varia de Eugenii viri sancti Deoque accepti virtutibus

(II, 6—8) narrantem suum episcopum praedicare et celebrare videri' (l. c.). Namque omnis episcopus provinciae Africanae, qui Eugenium visitavit vel ad disputationem Carthaginiensem venit, illa de Eugenio audire vel ipse videre potuit. Si Victor fuisset clericus episcopo Carthaginiensi subiectus, non diceret: ‚*Eugenius coepit . . . ita esse ab omnibus gratus, ut, sie fas esset, animam suam pro eodem uniuersos ponere delectaret*', sed potius: ‚. . . universi ponere delectaremur'.

Progredior ad ceteras Lironii rationes refellendas. Victor II 8 de multitudine ‚*nostrorum catholicorum*' narrat, quae vox Lironio (p. 156) non ad episcopum alius provinciae, sed ad clericum potius Carthaginiensem spectare videtur. Atqui Victor vocem ‚*nostrorum*' non ideo adhibet, quod illi sub sua tutela fuissent, sed ut declararet, illos fuisse catholicos Africanos, quamquam in habitu Vandalorum incederent. Porro historicus noster Lironio (p. 156) ideo videtur esse clericus Carthaginiensis, quod de illis confessoribus, qui in habitu Vandalorum ambulantes a tortoribus in portis ecclesiae collocatis arrepti et crudelissime vexati sunt, haec dicit: ‚*Quorum nos plurimos nouimus, nec scimus eorum aliquem tunc etiam poenis urguentibus a recto itinere destitisse*'. (II, 9.) Sed Victor plurimos eorum novisse poterat, etsi erat episcopus Vitensis, quoniam ex historia elucet, eum nonnunquam — Lironius p. 160 docet: quinquies ante collationem episcoporum — esse Carthagine commoratum. Neque valet quidquam Lironii assertio, Victorem esse Carthagine versatum, cum Hunericus in suos affines et in Iucundum episcopum Arianum saeviret, quem furorem Victor ita describit: „*In quo impietatis scelere futurum nobis adesse prospeximus malum, aientes inuicem singuli nobis: ‚qui in suo ita crudelis effectus est sacerdote, quando nostrae religioni uel nobis parciturus est iste'?*" Immo Victor his verbis insinuare videtur se esse episcopum, quoniam ex sorte Iucundi episcopi Ariani praevidet, neque sibi (*nobis* = episcopis catholicis) parsurum esse Hunericum. Deinde Lironius p. 158 contendit, historicum nostrum ab Eugenio metropolitano provinciae proconsularis, ex qua quinque fere milia catholicorum [1]) anno 483

---

[1]) Hi non omnes ex clero fuerunt, id quod praeter Marcum, quem Felix Dahn (p. 251 adn. 1) vituperat, Aulerus (p. 256, 273), Zinkius (p. 11), Poetzschius (p. II.) perperam contenderunt. Goerres (RE I, 261) errat, cum scribat, Victorem esse cum confessoribus exulatum. Lironius (p. 158) recte

exulabantur, esse delegatum cum magna pecunia, ut illos miseros adiuvaret. Profecto ingentia munera Mauris dedit (II 32), ut ad exules in loca angusta et teterrima coartatos dormientibus Vandalis admitteretur intrare. Attamen vana est suppositio, Eugenium Victori pecuniam dedisse, ut illos adiuvaret. Quis enim Cyprianum Unizibirensem episcopum misit, ut exules consolaretur? *‚qui totum quod habuit egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit‘* (II, 32). Quodsi Lironius (p. 158 sq.) et Aulerus (p. 255) ex exemplo Cypriani Unizibirensis demonstrare volunt, tum episcopum non debuisse relinquere suam dioecesem, plane errant. En Auleri verba: Es ist anzunehmen, dass in den schlimmen Zeiten unter Hunerich kein Bischof sich ohne Not auf längere Zeit aus seinem Sprengel, geschweige denn aus der Provinz entfernte. So geht Cyprian von Unizibira in Byzakena nicht mit den im Jahre 483 Exilirten, obschon es sein heissester Wunsch war, Martyr oder Confessor zu werden (Vikt. Vit. II, 33). Viktor aber begleitet sie in die Verbannung (II, 36), steht ihnen bei . . . Darauf finden wir ihn in Karthago . . . (II, 39) . . . Das sind Umstände, die auf einen Bischof von Vita durchaus nicht, wohl aber auf einen Priester der karthagischen Kirche passen, der im Auftrage des Bischofs handelt und dann sofort zurückkehrt‘. Sed Victor minime narrat, Cyprianum esse a suis fidelibus prohibitum, ne se confessoribus illis ultroneum sociaret, at innuit Mauros vetasse, ne consolatores cum confessoribus pergerent: *‚Nullus iam pergere ammissus est consolator, sed artabatur multitudo ad currendum‘* (II, 35). Quapropter Victor rursus Carthaginem venit, fortasse ut Reginum imperatoris Zenonis legatum adiret. Quo cum legato aderat in ecclesia Carthaginis, cum praeceptum Hunerici de episcopis catholicis ad disputationem convocandis legeretur (II, 38—40). Hoc decreto promulgato Victor Carthagine cessisse et in dioecesim suam revertisse videtur. Proximo enim festo Epiphaniorum, quo caecus quidam oratione Eugenii visum recepit, Victorem in urbe Carthagine non fuisse verisimile est, cum non sicut alias memoret, se ipsum rem gestam vidisse. Aulerus (p. 257) idem conicit: ‚Wahrscheinlich war er

---

dicit: ‚Victor n'était pas du nombre des confesseurs; il se distingue d'eux très nettement dans toute cette narration; il était libre‘. Caeterum Goerres sententiam mutavit, in Dtsch. Zeitschr. f. Gesch. 10. Band. 1893. II. p. 18.

damals überhaupt nicht in Karthago, da er die Heilung des blinden Felix (II, 47 ff.) ebenfalls erzählt, als sei er nicht dabei gewesen'. Perperam vero Aulerus (p. 257) supponit, historicum nostrum etiam tempore collationis episcoporum non fuisse Carthagine: ‚Der Umstand, dass plötzlich da, wo die Erzählung von dem Religionsgespräche anhebt (II, 43), die erste Person aus der Erzählung verschwindet, [erhält] eine besondere Bedeutung. Der Autor hat eben an den Vorgängen (sc. Religionsgespräch) nicht theilgenommen, offenbar weil er nicht zu den Bischöfen gehörte. . . . Dass Victor III, 1 ff. auf einmal in der ersten Person spricht, ist leicht erklärlich: hier ist es die Empörung, die bei ihm durchbricht und ihn die Sache der Bischöfe als seine eigene empfinden lässt.' Aulero assentitur Zinkius: ‚Dagegen war er bei der Versammlung der Bischöfe selbst nicht beteiligt, wie aus der ganzen Schilderung des Verlaufs, den die geplante Unterredung nahm, erhellt, ein neuer Beleg dafür, dass er eben damals noch nicht Bischof, also auch nicht zur Teilnahme berechtigt war' (p. III). Zinkium sequitur Poetzschius: ‚Der Versammlung selbst hat er nicht beigewohnt, weil er damals noch nicht Bischof war, also zur Teilnahme an derselben wohl auch keine Berechtigung hatte' (p. III). F. Ferrerius opinatur (p. 35 sqq.) Victorem tunc Carthaginiensis ecclesiae presbyterum aut diaconum collationi illi adfuisse. Atque verba quidem Victor in disputatione Carthaginiensi non fecit. Namque decem tantum ex episcopis catholicis deligebantur, qui pro omnibus ad Arianos episcopos responderent, ne forte adversarii postmodum dicerent, se non rationibus, sed multitudine catholicorum esse oppressos (cf. II, 53). In his decem oratoribus Victor non fuit, cum nulla re indicet, se quoque esse ad respondendum delectum. Cumque historicus noster, quamquam disputationi intererat episcopus, tamen verba non fecerit, hanc disputationem describens non in prima, sed in tertia persona loquitur: *‚nostri episcopi dixerunt'* (II, 55). Postquam illa collatio ab Arianis irrita est reddita, decem episcopi delecti libellum de fide satis decenter sufficienterque conscriptum Arianis episcopis obtulerunt (cf. II, 55). In hoc fidei libello episcopi in prima persona loqui solent, ex. gr. ‚*tenemus*' (II, 56). Eodem modo loquitur historicus noster, cum narret, quae Ariani episcopi de hoc libello senserint. Hi enim, ut ait Victor, graviter ferunt, *‚quare n o s nomine nostro catholicos dixerimus. Statimque*

mentientes suggerunt regi de nobis, eo quod strepitum fecerimus audientiam fugientes' (III, 1). Auctor igitur hoc loco se episcopis catholicis adnumerat, qui ad disputationis conflictum Carthaginem venerunt et libello fidei subscripserunt.

Haec disserendo ad quaestionem venio, num Victor sit ab Hunerico in exilium missus. Lironius, qui in articulo quinto contendit, auctorem historiae non esse relegatum, neque ante neque post episcopos provinciae Africanae anno 484 exulatos, hoc fere modo ratiocinatur: Videmus Victorem Carthagine commorantem anno 481, quo Hunericus ecclesiae Carthaginiensi episcopum ordinari permisit; deinde eo tempore quo Iucundus patriarcha Arianus concrematus est, quandoque Deus imminentem persecutionem visionibus et signis demonstrabat. Item Victor anno 483 in urbe illa erat, cum quinque fere milia catholicorum relegarentur, et deinde, cum Hunericus Eugenio episcopo decretum de collatione episcoporum dirigeret. Inde usque ad Kalendas Febr. a. 484 Victorem exulatum esse putari non potest, quoniam Hunericus post illud decretum relegit nullum neque episcopum neque clericum, ea de causa quod tum suspicionem catholicorum excitare noluit. Laetum quidem episcopum rex tum demum concremavit, postquam omnes episcopi convenerunt atque in potestate eius fuerunt. Victor Carthagine commoratus esse videtur, quo tempore episcopi post collationem ante portas Carthaginis detinebantur. Ibique fuit (‚*nobis uidentibus*' III 49), postquam Hunericus etiam clerum Carthaginis in exilium pepulit. Porro Victor nos non celaret, se propter fidem patria esse expulsum, si hanc gratiam a Deo accepisset. Itaque perspicuum est, Victorem ipsum Hunerico regnante nihil perpessum a Deo esse conservatum, ut fidelibus persecutione vexatis prodesset et posteris miserias martyrum et confessorum traderet. Hactenus Lironius, quem inter alios sequitur Zinkius (p. III) haec dicens: ‚Von dem Ausweisungsdekrete des Vandalenkönigs (III, 3—15) scheint er nicht betroffen worden zu sein, da er sich über die gerade in Karthago und der Prokonsularprovinz während der an die Ausweisung der Bischöfe und Geistlichen sich anschliessenden allgemeinen Katholikenverfolgung vorgekommenen Martyrien, die er im III. Buche berichtet, so gut informiert zeigt, dass wir bei der Mehrzahl an Autopsie denken müssen; obendrein geht dies aus den Anfangsworten von III, 49 nobis videntibus ibi Carthagine unwider-

leglich hervor.' Cum Victor non presbyter Carthaginiensis, sed episcopus Vitensis fuerit neque ullo modo annuat, se esse exulatum, sequitur, ut ante collationem episcoporum non sit relegatus. Post illam collationem universi episcopi extra murum propelli (III, 15) et deinde relegari (III, 20) iussi sunt. Cum ex historia III, 15. 16 non eruatur, num reapse omnes episcopi in hospitiis sint exspoliati, conici licet, nonnullos esse in hospitiis absconditos et occasionem nactos fugisse. Victor autem in aliquo hospitio Carthagine delituit vel alio modo prohibuit, ne in exilium truderetur. Certe in illa urbe erat etiam eo tempore, quo persecutio catholicorum facta erat generalis (III, 19). Cum hac opinione concordat Notitia, quam tradere demonstravi Victorem Vitensem ad exilium non occurrisse.

Quae Victor Vitensis Gunthamundo regnante (485—496) fecerit et quo anno mortuus sit, prorsus incertum est. Chiffletius quidem in capitulo nono elucidationum (M. 58, 132 sq.) demonstrare conatur eum factum esse primatem provinciae Byzacenae: ,Hunc ipsum Victorem Vitensem episcopum censui primatem postmodum fuisse provinciae suae Byzacenae, cuius est mentio in in Vita S. Fulgentii ab eo in episcopum Ruspensem ordinari iussi. Nec vanis indiciis. Nam . . . in Africa, extra provinciam proconsularem cuius caput Carthago, vagae erant ac desultoriae primae sedes, et seniorem cuiusque provinciae episcopum sequebantur: seniorem, inquam, non aetate, sed promotione sive ordinatione; qui idcirco senis appellatione designari solebat; adeo ut promiscue aut senex, aut suae provinciae primas, aut primae sedis episcopus nuncuparetur. Jam sic ratiocinor: Notitia Byzacena tres omnino Victores episcopos repraesentat: Narensem tertio decimo loco, Vitensem sexto et quadragesimo, primo et centesimo Gauvaritanum. Christi anno 487, quo scribebat Victor Vitensis, decem iam sublati erant ex episcopis Byzacenis, iique (ut verosimilius) seniores atque infirmiores: qui si primi decem fuerunt, quos recenset Notitia; ex eo Victor Narensis in reliqua episcoporum serie tertium locum, Vitensis trigesimum sextum, Gauvaritanus primum et nonagesimum obtinuit. Jam vero, satis constat, Victoris primatis Byzaceni mandato Fulgentium Ruspensibus ordinatum episcopum anno Christi 507, vicesimo anno post 487. Per hos igitur viginti annos longe est probabilius obiisse ex episcopis Byzacenis quinque et triginta qui Victori

Vitensi, quam duos tantum qui Narensi aut omnino nonaginta qui Victori Gauvaritano decedere potuissent. Qua ratiocinatione conicio, eundem esse Victorem Vitensem episcopum a quo persecutionis Africanae descripta est Historia, qui et viginti post annis fuit primas Byzacenus'. Hanc Chiffletii sententiam Ruinartus in capitulo sexto praefationis repetit atque annuit, Victorem nostrum Thrasamundo regnante pro Christi fide exulem obiisse. Bailletius (Migne l. c. p. 179 sq.) quoque non dubitat, Victorem Vitensem postmodum fuisse primatem Byzacenum atque a Thrasamundo esse in Sardiniam exulatum, ubi anno 510 vel 512 obiisset. Item Cuperus in Actis Sanctorum (l. c. 632) censet. Sed Lironius ratus historicum nostrum anno demum 487 esse ordinatum episcopum tuetur (p. 167), nostrum Victorem esse alium atque qui in Vita S. Fulgentii memoretur; neque enim fieri potuisse, ut Victor annis viginti post iam esset primas. Stephano Morcello (p. 357) non satis constat, an Victor noster idem sit ac ille primas. Recentiores viri docti omnes Chiffletii coniecturam reprobare videntur. Caeterum quae Chiffletius de primate in Africa eligendo profert, pugnant cum epistula a papa Gregorio I. a. 591 ad Gennadium patricium directa, in qua (Mon. Germ. hist. epistolarum tom I, 1 p. 92) legimus: ,*Concilium vero* (Numidiae) *catholicorum episcoporum admoneri praecipite, ut primatem non ex ordine loci postpositis vitae meritis faciat, quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitae melioris actio comprobatur*'.

IV.

Quo anno et loco Victor historiam composuerit.

De hac quaestione viri docti minime consentiunt. Exordium quidem historiae ansam praebet definiendi, quo anno sit conscripta. Victor enim his verbis opus suum incipit: ,*Sexagensimus nunc, ut clarum est, agitur annus ex eo, quo populus ille crudelis ac saeuus Uuandalicae gentis Africae miserabilis attigit fines*'. Ex his verbis Chiffletius in cap. quarto elucidationum (Migne l. c. 129) haec concludit: ,Tempus quo haec historia conscripta sit, indicavit auctor ipso operis initio, sexagesimum annum ex quo Vandali in Africam ex Hispania traiecerant. Porro hic transitus cum a Prospero in Chronico notetur Hierio et Ardabure

consulibus, hoc est anno aerae Christianae 427, ad hunc numerum addito sexagenario, prodibit huius operis elaborati annus 487'. Ruinartus in praefatione (ibid. 146) eodem modo eundem annum 487 accipit. Cum utroque Cuperus in Actis Sanctorum (l. c. 631) docet, ,illum anno Christi 487 conscripsisse historiam Wandalicae persecutionis'. Papencordtius autem, qui docere conatur (l. c. 63 adn. 1), transitum illum Vandalorum anno 429 esse tribuendum, exordium historiae ita interpretatur, ut eam anno 488/89 scriptam esse putet (p. 367). Eandem sententiam defendit Josephus van Hecke in Actis Sanctorum Octobris (XI, 846) hunc in modum: ,Allucinari eruditos, dum scribunt, Victorem absolvisse librum de persecutione Vandalica anno Christi 487. Causa erroris in eo est, quod adventum Vandalorum in Africa anno 427 innectunt: atque hinc quoniam Victor dicit, sexagesimum agi annum, ex quo . . . fines, Vandalis anno Christi 429 ingruentibus, consequitur, Victorem librum suum scripsisse anno Christi 488 aut 489'. Hurterus (l. c. 5. 136 adn. 1) historiam anno 489 tribuit, etsi alia pagina (102) scribit, Vandalos anno 427 in Africam transisse. Halmius (p. 82) in indice nominum et rerum laudato haec profert: ,Victor ep. Vitensis historiam suam (exsul ut videtur) conscripsit a. 488 p. Chr. I, 1'. Bailletius (Migne, l. c. 179) et Lironius (ibid. 177) annum 487 accipiunt, Goerres autem (R. E. I, 261 sq.), Aulerus (275), Nirschlius (III, 314), Mommsenius[1]), Teuffelius[2]), Bardenhewer[3]) annum 486. Ebertus[4]) annum sexagesimum esse numerum aequalem arbitratus ratiocinatur, Victoris opus non post annum 486 esse compositum. ,Namque, inquit, Eugenius episcopus civitatis Carthaginiensis anno 487 a Gunthamundo rege ex exilio revocatus est, id quod Victori historiam scribenti nondum erat notum. Immo vero ex precatione auctoris finali apparet, persecutionem non cessasse, cum Victor scriberet'. Atqui in pagina sequente Ebertus opinioni favet, Victoris historiam iam Hunerico vivo esse compositam. Hunericus[5]) autem mortuus est die undecimo mensis Decemb. 484. Eberto ille de Hunerici morte nuntius, qui mortem Galerii in libro de

---

[1]) Neues Archiv d. Gesellsch. f. ält. deutsche Geschichtsk. 16. Bd. 1890 p. 63.
[2]) Gesch. d. röm. Lit., 5. Aufl. II, 1207. [3]) p. 572.
[4]) Editio prima, p. 434 adn. 3, ed. secunda, p. 455 adn. 4.
[5]) cf. Papenc. p. 117.

mortibus persecutorum c. 33 traditam in mentem revocat, postea adiectus esse videtur, cum nulla ratione cum praecedente capite, quod precationem auctoris continet, coniunctus sit. Sententiam Eberti, quam tenet quoque Guilelmus Diekampius in periodico Literarischer Handweiser (1882 p. 725 sq.), Goerres [1]) et Aulerus [2]) acriter impugnaverunt. Tamen Ebertus in altera editione [3]) operis sui sententiam suam non mutat: ‚Es wäre selbst nicht unmöglich, dass das Werk, obgleich selbstverständlich unter Gunthamund herausgegeben, schon unter Hunerich verfasst worden wäre, weil die kurze . . . Notiz von seinem kläglichen Tode offenbar später hinzugefügt ist‘, sed adversus Aulerum eo defendit, quod enuntiata relativa, quibus Aulerus nititur, postea interposita esse possunt. F. Ferrerius putat (p. 38), ‚Victorem exacto fere anno 484 librum suum scripsisse, eumdem vero post quatuor aut quinque annos edidisse, mutatis facillime primis libri verbis, ne circa temporum rationem minus diligens videretur‘. Equidem censeo historiam nostram esse Hunerico vivo conscriptam et editam, cum Victor nullo loco memoret, Hunericum regem esse defunctum. Recte enim Halmius atque Petschenigius Eberto assentiuntur, non a manu Victoris esse scripta, quae in calce (III, 71) de morte Hunerici narrantur. In genuina Victoris historia tantum de Geiserico et Hunerico catholicos persequentibus agitur, non de Gunthamundo Hunerici successore. Minime Victor narrat, Gunthamundum permisisse, ut catholici vexarentur, de qua re nos certe docuisset, si post mortem Hunerici scripsisset. Immo vero Victor Hunericum paulo ante calcem libri vivum inducit (III, 60) neque quidquam de morte illius dicit, quamquam de industria affert, propter infensam Trinitatem tam multos tum esse mortuos, ut superstites ad sepeliendum non sufficerent (III, 58). Porro Victor graviter de successore Hunerici conquereretur, quod in crudelitate quoque succederet et episcopos in patriam non revocaret, quoniam ex historia Victoris eluceet, eo tempore, quo historia scripta est, episcopos adhuc in exilio (I, 29, III, 67) et catholicos in tanta miseria esse, ut Victor coelestes oret, ut Africanos consolentur. Historia igitur nostra Hunerico vivo exorta est. Nulla autem causa est putandi, Victorem historiam conscriptam non statim edidisse. Sententiae meae non obstat exordium historiae: ‚*Sera-*

---

[1]) R. E. I, 262. [2]) p. 258. [3]) I, 456 adnot.

gensimus nunc, ut clarum est, agitur annus etc.' Victor enim aut numerum aequalem posuit aut errare potuit. Alio quoque loco in annis Geiserici computandis erravit tradens (I, 24), eum anno quinto decimo regni sui esse Roma urbe potitum. Atqui Chiffletius (Migne, l. c. 133) accipit annum Romae captae esse annum regni Geiserici quintum decimum exactum. Sed Theodorus Mommsenius[1]) historicum nostrum in anno Romae captae computando errare contendit. Geisericus enim regnavit inde ab Octobre a. 439 Romamque cepit a. 455, ergo anno regni sui sexto decimo. Caeterum, si revera annus sexagesimus agebatur, ex quo Vandalorum gens fines Africae attigit, nondum necessario annus 486 constituitur. Papencordtius (p. 53) enim docet Vandalos iam anno 425 expeditionem in oram Africanam fecisse, unde sequitur, ut Victor anno 484 scribere potuerit, agi annum sexagesimum, ex quo *,populus ille . . . Africae miserabilis attigit fines'*. Verbum autem attigendi sensum expeditionis potius quam occupationis habet. Utra sententia sit rectior, videant alii.

Restat, ut argumenta eorum redarguam, qui ex historia ipsa eruere volunt, Victorem Hunerico defuncto scripsisse. Franciscus Goerres (R. E. p. 262) duos historiae locos affert, ex quibus elucere censet, Victorem episcopum librum suum conscripsisse post Hunericum mortuum: a) II, 12 *,ipse* (Hunericus) . . . *desiderans post obitum suum filiis, quod non contigit, regnum statuere, Theodericum fratrem filiosque eius . . . crudeliter coepit insequi'*; b) II, 17 *,solidans sibi, ut putabat, regnum, quod breve futurum erat et caducum, omni . . . convertit.'* Assentior viro erudito, hos historiae locos esse genuinos neque postea interpositos. Sed utrumque locum alio modo explico atque Goerres. In priore loco Victor non dicit: ,post obitum Hunerici non successerunt filii eius', sed *,non contigit'*, scilicet quod desideraverat. Quid desiderabat? Immo filiis suis regnum statuere! Hunericus igitur constitutionem Geiserici, secundum quam maiori nepotum regnum debebatur, abrogare studebat. Sed a Vandalis non impetravisse videtur, ut a Geiserici constitutione discederent.

[1]) Neues Archiv der Gesellsch. f. ältere deutsche Geschichtsk. 16. Band. 1890. pag. 63 adn. 2: ,Indess ist die Ansetzung der Einnahme Roms im Juni 455 auf das 15. Regierungsjahr Geiserichs bei diesem I, 24 nach keiner Rechnung zu halten und ein Versehen.'

Quapropter non mirum est, quod Victor vel Hunerico vivo dicit, non contigisse, quod ille desiderabat. Sibi autem non contigisse, ut filiis regnum statueret, Hunericus ipse innuit, hoc iuramentum anno 484 a catholicis episcopis per ministros suos postulans: *‚iurate si post obitum domni nostri regis eius filium Hildirit desideratis esse regem‘* (III, 19). Etenim si apud Vandalos illud impetravisset, non tantum illius interfuisset, ut idem apud episcopos catholicos exspoliatos impetraret. Jure denique miraremur, cur Victor, si Gunthamundo Gentunis filio regnante historiam exarasset, hunc regem ab Hunerico persecutionem passum non imploraret, ut episcopos catholicos ab illo expulsos ecclesiis suis restitueret.

Neque alter Victoris locus in medium allatus opinioni favet, historiam esse post obitum Hunerici scriptam. Cum Goerres (R E 262) textum Hurterianum exhibuerit, totum locum affero secundum editionem Vindobonensem: (II, 17) *‚Amputatis igitur in breui omnibus quos timebat et solidans sibi, ut putabat, regnum, quod breue fuerat et caducum, omni ex parte otiosus atque securus uniuersa tela furoris in persecutione ecclesiae catholicae rugiens sicut leo conuertit‘*. Hunericus igitur primum id studebat, ut regnum suum caducum stabiliret, quod propter hostes intestinos et exteros non multum temporis obtinere posse videbatur. Nam domus Theoderici Gentunisque fratrum ei adversabantur, neque Vandali ipsi adhuc tam bellicosi erant, quam Geiserici temporibus, id quod ex Malchi [1]) fragmentis cognoscimus: ‚μετὰ τὸν θάνατον Γινζιρίχου πεσόντες ἐς πᾶσαν μαλακίαν οὔτε τὴν αὐτὴν ῥώμην ἐς πράγματα ἔσχον οὔτε τὰς αὐτὰς ἔτι συνεῖχον παρασκευάς, ἃς ἐκεῖνος πρὸς πᾶσαν πρᾶξιν εἶχεν ἐφόρμους, ὡς θᾶττον ἀεὶ πράττειν ἢ ὡς ἂν ἄλλος βουλεύσαιτο‘. Attamen Hunericus, qui ab ipsorum fratrum persecutione non reformidabat, *‚in breui‘* regnum suum adeo solidatum esse *‚putabat‘*, ut in catholicos Africanos saevire non dubitaret. Itaque Victor non in universum dicit: ‚regnum Hunerici breve erat et caducum‘, sed de primordiis regni loquitur eaque de causa plusquamperfectum adhibet: *‚breue fuerat et caducum‘*. Quod Victor vel Hunerico vivo scribere potuit.

Ut historiam post obitum Hunerici scriptam esse demonstret, Aulerus praeter illos duos historiae locos proponit nonnullos alios.

---

[1]) Historici Graeci minores, ed. Ludov. Dindorfius. Lipsiae 1870, I, 401.

Allegat (p. 258) enim III, 31, quo loco tormenta Carthagine [1]) adhibita narrantur, unde haec fere concludit (p. 259): ,Propterea quod Hunericus mense Decembris anni 484 mortuus est, persecutiones vero hic traditae Martii demum mense eiusdem anni coeperant, Victor vocabulum ,*hodieque*' paululo sensu adhibuisset, si ante Hunerici obitum scripsisset'. Cum ,*hodieque*' semel tantum apud Victorem occurrat, Aulerus sensum huius vocabuli ex Orosio (adv. Paganos VI, 15, § 32, VII, 32, § 12) eruit, apud quem ,*hodieque*' significat, usque in hodiernum'. Eodem sensu ,*hodieque*' ex. gr. in collectione epistularum Avellana [2]) septies usurpatur. Concedo igitur Aulero, illud ,*hodieque*' (III, 31) idem significare atque ,*usque in hodiernum*' (I, 2. 38) vel ,*et hodie*' (I, 8). Sed nihil obstat, quin pondus sententiae in phrasi ,*in promptu*' ponamus. Tum sensus est: Tam multi Carthagine tormenta passi sunt, ut passim in publico adhuc conspiciantur. Quod Victor dicere potuit, etsi pauci tantum menses praeterierant, postquam illi passi sunt.

Alium Victoris locum, qui in Hunerici tempora non quadret, Aulerus (p. 259) deprehendit in historia III, 38, ubi narratur duodecim pueros vocales strenuos atque aptos modulis cantilenae esse de multitudine clericorum Carthaginiensium in exilium pergentium separatos et in urbem revocatos ibique fustibus afflictos. ,*Quos n u n c Carthago miro colit adfectu et quasi duodecim apostolorum chorum conspicit puerorum. Una degunt, simul uescuntur, pariter psallunt, simul in domino gloriantur*' (III, 40). Id quidem seriam constitueret difficultatem, si Victor illis verbis innueret, eo tempore, quo scripsit, esse persecutionem finitam. Quod concedi non potest. Aulerus ipse (p. 258) ex precatione auctoris (III, 61 sqq.) concludit, illa aetate pacem esse catholicis nondum redditam. Idem, ut supra dixi, historia I, 29 innuit: *Quintianus . . . n u n c persecutionem fugiens apud Edessam Macedoniae ciuitatem commanet peregrinus*'. Hic historiae locus non pugnat cum locis citatis, si accipimus, illos pueros, cum nullis possent minis adduci, ut fidem negarent, a Vandalis pertaesis post aliquot dies esse catholicis redditos. Quod verisimile fit ex historia III, 28,

---

[1]) Verba ,quae res hodieque posita in promptu' non ad Vandalos catholicos spectant, prout Aulerus putat, sed ad ea, ,quae gesta sunt Carthagine'.

[2]) Corp. script. eccl. lat. vol. XXXV ,2. p. 899. index rerum et verborum.

ubi tortores a facie sua catholicos proiecerunt[1]). Sed haec solutio non est necessaria. Mihi quidem illi pueri eo tempore, quo Victor scribebat, adhuc in manibus Vandalorum esse videntur. Etenim vox ‚*nunc*' potest significare tempus persecutionis Hunericianae atque opposita esse tempori pacis pristino, quo nemo illos cum duodecim apostolorum choro comparabat. Nunc autem i. e. dum illi pueri multis verberibus dissipati una (in custodia Vandalorum) degunt[2]), simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur[3]), Carthaginienses catholici eos venerantur apostolos.

Aliud argumentum, quod Aulerus (p. 259) cum Papencordtio (p. 113 adn. 1) ex historia II, 16 petit, gravius esse videtur. Victor enim dicit Arianos quosdam ab Hunerico esse ad faciendas scrobes vineis profuturas damnatos et per menses singulos flagellis crudelibus dissipatos, vix modico aquae cibarioque pane concesso. ‚*Hoc,* inquit Victor, *per quinque uel amplius perpessi sunt annos*' (II, 16). Unde historia post mortem Hunerici scripta esse videtur, quandoquidem illi, si Papencordtio et Aulero fidem habemus, certo non ante eius mortem liberati sunt. At Victor nihil dicit, quomodo illi ex suppliciis sint liberati. Eodem iure conici licet, Hunericum desiisse homines Arianos persequi, cum anno 481 generali catholicorum persecutione esset occupatus. Ergo non cogimur, ut censeamus illos demum a Gunthamundo esse liberatos Equidem illum historiae locum plane aliter explico. Textus hic est: ‚*Hoc per quinque uel amplius perpessi sunt annos; quibus haec supplicia proficere poterunt ad aeternam mercedem, si catholici fuissent et fidei suae merito ista perferrent. Sed ideo istud silere nequiuimus, . . .*' Phrasis ‚*perpessi sunt*' sensum temporis praesentis habere videtur: ‚perpetiuntur.' Huic opinioni favet, quod sequens verbum, ‚*nequiuimus*' eandem explicationem admittit. Aliud exemplum apud Faustum Reiensem (ed. Engelbrecht. sermo 3. p. 235, 26. 236, 2) repperi: ‚*tacemus et nihil dicere ausi sumus,*' ad quem locum Engelbrechtus in indice verborum et locutionum adnotat: ‚perfectum sensu praesentis' (p. 478).

---

[1]) Hic mihi in mentem venit puer, qui Geiserici iussu propter fidei catholicae professionem ‚fustibus diu caesus et ad infimam servitutem damnatus est: ideo, ut apparet, non interfectus, ne de superata saevitia impii regis etiam aetas illa gloriaretur'. Prosper in Chronico. cf. Ruinartum p. 373.

[2]) cf. II, 15: degere in loco latrinarum obsceno.

[3]) cf. I, 28, ubi confessor inter tormenta ‚*in domino laetabatur.*'

Enuntiatum condicionale, quod in nostro Victoris loco occurrit, exhibet plusquamperfectum et imperfectum. Quo cum ennuntiato aliud Victoris comparantes — *‚si haec uita praesens sola fuisset et aliam non sperauremus‘* (III, 27) — nostrum locum hoc modo vertere debemus: ‚wenn sie katholisch wären und dieses um ihres Glaubens willen ertrügen.‘ Victorem autem tali modo temporibus esse usum, docet Petschenigius in indice p. 167, s. v. ‚plusquamperfectum pro imperfecto.‘

Quandoquidem disserui nullum historiae locum ad aetatem Gunthamundi spectare, sequitur, historiam esse anno 484 Hunerico vivo conscriptam. Mensis vero vel dies, quo Victor eam finierit, accurate erui non potest. Verisimile est eum mense Novembris vertente historiam perfecisse et edidisse.

Iam quaeritur, ubi Victor opus suum exaraverit. De hac quaestione diversae opiniones prolatae sunt. Chiffletius (Migne l. c. 132) Victorem Constantinopoli librum suum scripsisse argumentatur ex historia III, 32, *‚qui hoc fabulosum putat Uranium Zenonis legatum interroget‘*, et III, 30, *‚si quis incredulus esse uoluerit, pergat nunc Constantinopolim.‘* Unde Chiffletio videtur Victor lectores suos invitare, et praesentes, ut Uranium legatum in aula imperatoris versantem consulant, et absentes, ut in urbem illam pergant. Quod quidem Victorem non facturum fuisse, nisi ipse tum in eadem urbe habitasset. Ad quae Cotelerius (tom. III. mon. eccl. Gr., Lutetiae Parisiorum 1677, in notis ad vitam S. Sabae, p. 598) praeclare respondet: ‚Potuit quidem Hunericus, rex Vandalorum, episcopos catholicos relegare in varia loco ditionis suae, potuit e regno suo expellere, potuit Constantinopolim mittere, sed huiusmodi missio nequaquam relegatio censenda est.‘ Chiffletii igitur sententia plane relinquenda est. Cotelerius arbitratur, Victorem historiam in Epiro veteri scripsisse, ‚ubi episcopus fuit Diadochus, cuius mentio fit in praefatione Victoris, et in qua dominatos Vandalos colligitur ex fine libri primi eiusdem Vitensis episcopi.‘ Sed fundamentum huius hypothesis eversum est, postquam Petschenigius praefationem illam Victori iure abiudicavit. Ruinartus (Migne, l. c. 147), quem Bailletius (ibid. 179) et Papencordtius (p. 367) sequuntur, putat Victorem in Africa historiam suam exarasse, propterea quod multa habet passim, quibus innuit, se in exteris regionibus non versatum esse, cum eam scriberet. Cuperus in Actis Sanctorum

(l. c. p. 632) ad hanc quaestionem notat: ,Nos incertis hisce coniecturis examinandis diutius immorari nolumus, cum ex iis nihil certi elicere possimus.' Ferrerii opinio (p. 44), Victorem in exilio (in provincia Byzacena) librum composuisse, errore nititur, cum Victor in exilium non occurrerit. Aulerus denique, cui Zinkius (p. IV) assentiri videtur, contendit (p. 259), Victorem in urbe Carthagine historiam suam conscripsisse. Haec sententia a me probatur. Etenim Victor, quem historiam exeunte anno 484 scripsisse demonstravi, tum Cartagine fuit, cum medium librum tertium (III, 31) scriberet, quoniam dicit, hodieque confessores quosdam mutilatos in publicum prodire. Neque est, cur Victorem, qui Carthagine violentiam persecutorum ipse vidit (III, 49), exinde Carthagine cessisse arbitremur, praesertim cum multi alii eo tempore propter famem (III 60) Carthaginem confluerent, quae urbs ex regionibus transmarinis rem frumentariam sibi parare poterat.

V.

Quem ad finem Victor scripserit.

De hac quaestione Aulerus (p. 263) haec profert: ,Schon die Umstände, unter denen die historia geschrieben ist, weisen auf die Annahme, dass dem Buche eine Tendenz unterliegt, dass es weniger ein Geschichtswerk, denn eine Parteischrift der römisch-orthodoxen Partei im Wandalenreiche sei. Eine Stütze erhält diese Vermuthung durch die Worte des Schriftstellers selbst. Er legt III, 61 ff. seinen Standpunk dar, und ich bin geneigt, hier das Thema seines Werkes zu finden. Er ruft mit dem Psalmisten (48, 2 ff.) aus: Audite haec omnes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum diues et pauper, und fährt dann mit seinen eigenen Worten fort: Nonnulli qui barbaros diligitis et eos in condemnationem uestram aliquando laudatis, discutite nomen et intellegite mores. Numquid alio proprio nomine uocitari poterant, nisi ut barbari dicerentur, ferocitatis utique, crudelitatis et terroris uocabulum possidentes? Quos quantiscumque muneribus foueris, quantiscumque delinieris obsequiis, illi aliud nesciunt nisi inuidere Romanis. Et

quantum ad eorum adtinet uoluntatem, semper cupiunt splendorem et genus Romani nominis nebulare: nec ullum Romanorum omnino desiderant uiuere, et ubi adhuc noscuntur parcere subiectis, ad utendum seruitiis illorum parcunt; nam nullum dilexerunt aliquando Romanum. Das spricht doch eine bewusste Tendenz aus, und es hat den Anschein, als ob Victor Salvian im Auge habe, auf den die ersten Worte ganz vorzüglich passen. Wenn man bedenkt, dass die Verfolgung (p. 263) Hunerichs nicht allein Laien, sondern auch Kleriker und selbst Bischöfe zum Arianismus überzutreten bewog in dem Masse, das sogar ein Concil sich mit der Frage der lapsi befassen musste, so ist es im Hinblick auf die oben angeführte Stelle höchst wahrscheinlich, das Victor mit der Absicht, dem Abfalle seiner Landsleute von dem Katholicismus entgegenzutreten, geschrieben und zu diesem Zwecke denselben die Wandalen in ihrer ganzen Abscheulichkeit als Barbaren und Ketzer vorgeführt habe'. Aulerus igitur opinatur, Victorem ea mente historiam suam scripsisse, ut Africanos catholicos prohiberet, ne Ariani fierent. Quam opinionem sequi nequeo. Num Salvianus Africanis ab Hunerico vexatis adnumerandus est? Victor quidem, qui verba sua ad *,genus Romani nominis'* (III, 62) dirigit, in nulla prorsus historiae loco Africanos alloquitur, sed pro illis adit catholicos extra Africam habitantes: II, 44 optat, ut oppressionis Africanae calumniae universis terris et populis nuntientur; III, 64 omnem turbam catholici nominis deprecatur, ut cum Africanis lacrimas fundant; III, 68 a partibus Orientis quaerit, ut simul contristentur. Deinde I, 2 nescientes de statu Vandalorum docet, id quod non ad Africanos lectores spectat, sed ad exteros. Legem Hunerici historiae III, 2—14 inserit, quae lex Africanis satis, sed exteris lectoribus minus nota erat. Denique III, 30 incredulos Constantinopolim pergere iubet et III, 32 ad virum Constantinopolitanum provocat, ut rem probet, quae ante oculos Carthaginiensium versatur. Victor igitur arbitratus, se aliquid Deo acceptabile (cf. III, 29 *,ad laudem dei'*) et Africanis utile facere, Hunerico non obsecutus est postulanti, ut nullus episcoporum *,ad regiones transmarinas epistulas'* (III, 19) dirigat, sed catholicos extra Africam Vandalicam habitantes, quorum nonnulli ferocitatem et crudelitatem Vandalorum minus noverant, de statu misero ecclesiae Africae docet et ad condolendum arcescit (III, 65). Cumque Victor fuerit episcopus, concedendum est, eius permultum

interfuisse, ut coëpiscopi exteri de collatione Carthaginiensi recte instruerentur. Id quidem consequitur ex eo, quod sub finem historiae (III, 63) iterum de disputatione episcopali disserit.

VI.

Quae fides Victori habenda sit.

Non est, cur miremur, si narratio Victoris quippe qui ardentibus verbis utatur, de vexationibus suae ipsius gentis et religionis queratur neque unquam crudelitatem adversariorum excuset, permultis lectoribus suspicionem moveat. Nihilominus Victori fides habeatur necesse est, cum haec duo demonstrari possint: I.) Victor aptissimus erat ad persecutionem illam describendam; II.) nullis contradictionibus implicatur.

Quod priorem assertionem attinet, Victor de calamitatibus catholicorum Africae bene instructus esse debuit, cum esset unus ex episcopis eorum. Episcopi autem refert novisse, quomodo ecclesia se habeat. Accedit quod Victor etiam tum Carthagine erat, quando ceteri episcopi — unico altero excepto — exules erant. Ipse quoque Aulerus, quem Goerres (Z. f. G. 10. Bd. p. 20. adn.) hypercriticum esse iure arguit, asserit (p. 259), omnes circumstantias Victori ad historiam suam scribendum favisse: ‚Wie wir sehen, war Victor von den Umständen ausserordentlich zur Abfassung eines Werkes wie das vorliegende begünstigt. Er lebte im Mittelpunkte des Wandalenreiches. Was er selbst nicht erlebt, konnte er von Augenzeugen der früheren Regierung Genserichs erfahren; was in Karthago und dem Sprengel des dortigen Metropoliten vorging, hörte er jedenfalls sehr schnell, und auch aus den übrigen Provinzen des Reiches ist sicher in der Hauptstadt rasch das Bemerkenswerthe bekannt geworden, da die Wandalen die römische Posteinrichtung beibehalten hatten‘. Cum Victor catholicos exteros ad miserationem Africanorum adducere intendat, persecutionem Geiserici iam praeteritam breviter tractat, non fusius quam ut ostendat, quantum tempus Africani sub dominatione barbarorum vexentur. Hunerici autem persecutionem adhuc durantem uberius describit atque huic alteri parti acta publica inserit, scil. Hunerici decretum de collatione episcoporum II, 39, Eugenii episcopi suggestionem Obado oblatam

II, 41. 42, librum fidei catholicae II, 56—101, Hunerici legem adversus catholicos datam III, 3—15. Verisimile esse videtur, Victorem esse eo fere tempore natum, quo Vandali in Africam irruperunt. Itaque scriptor coaequalis est, etsi primordia regni Geiserici non ex propria rerum cognitione describit. In priore quidem historiae parte Victor semel tantum (I, 40) se ipsum testem oculatum rerum narratarum inducit atque bis ad testes probabiles provocat (I, 34. 38). Tamen plura de Geiserici aetate dicere potuisset, si id in animo habuisset, cum occasione data alteri historiae parti addat rem Geiserici temporibus gestam. Permulta denique de illo primo Vandalorum rege ab episcoporum senioribus inter collationem Carthaginiensem cognoscere potuit. Quomodo vero Hunericus catholicos tractaverit, nemo dubitare potest, quin Victor accurate sciverit ut episcopus Hunerici aequalis.

Pergo ad alteram quaestionem. Cum Victor lectores ad alios testes destinet, velut ad Uranium legatum in Africa versatum (III, 32), demonstrat se verum dicere voluisse. Idem elucet ex eo quod Victor fidem rerum servans docet, dominationem Geiserici et Hunerici regum non perpetuo fuisse catholicis adversam atque multa affert, quae ad voluntatem catholicorum facta sunt. Jure igitur Dieckampius (l. c.) de historico nostro haec dicit: ‚Das, was er selbst erlebt, was vor seinen Augen sich abgespielt, oder was er von glaubwürdigen Zeugen in Erfahrung gebracht, vereint er zu einem wirkungsvollen Gemälde, dem sich historische Treue nach keiner Seite hin absprechen lässt'. Goerres, qui Victoris fidem subiectivam non negat (Z. f. G. l. c. p. 19. Hilgenfeld, Zeitschr. 1893 I, 197), tamen de obiectiva fide eius dubitat atque contendit, eum quamvis inconscium partium studio et odio in Vandalos eo ductum esse, ut nonnunquam a veritate historica aberraret. Docet, Victorem interdum narrare, quae cum historia ipsa et cum authenticis litteris pugnent (R. E. I, 260), et Johanni Matthiae Schroeckhio assentitur (p. 261) haec proferenti: ‚Es ist ein von den Begebenheiten wohl unterrichteter, fleissiger und sorgfältiger Schriftsteller, der seine Erzählungen auch durch Urkunden bestätigt; den aber Hass gegen die Vandalen, und Schmerz über das Unglück seiner Glaubensgenossen, nicht gelassen schreiben liessen; so wie ihn manchmal seine Leichtgläubigkeit irre geführt hat' (Christliche Kirchengesch. 18. Teil. Leipzig 1793 p. 91 sq.). Papencordtius (p. 368—370) putat, Victorem, etsi Vandalos colo

ribus atrocioribus depingat, tamen de persecutione catholicorum verum dicere videri, sed ita ut adversus Vandalos in praeiudiciis haereat: ‚Der Charakter des Werkes geht schon aus dem Zwecke und der Stellung des Verfassers hervor. Der Zweck war, die Verfolgung der Katholiken durch die Vandalen zu beschreiben, also betrachtet er die letzteren gerade von ihrer schlechtesten Seite, ohne der Lichtseiten ihrer Einrichtungen, ihrer Tapferkeit, ihrer Sittlichkeit, wie sie wenigstens zu Anfang unter ihnen herrschte, zu gedenken. Dass er selbst ein Verfolgter war, konnte nur dazu dienen, die Farben noch greller zu machen .... Betrachten wir dagegen sein Buch blos in Bezug auf die Verfolgungen der Katholiken, so tragen die einzelnen Thatsachen im Ganzen das Gepräge der Wahrhaftigkeit. Der Verfasser beruft sich entweder auf das, was er selbst gesehen, oder auf glaubwürdige Zeugen, und die wichtigsten Actenstücke hat er in sein Werk aufgenommen. Was sonst gelegentlich über die Einrichtungen der Vandalen gesagt wird, stimmt durchaus mit den besten uns erhaltenen Angaben, und hat die innere Wahrheit für sich; aber dass Viktor dennoch in der Verbindung der Thatsachen und in der Auftragung der Farben nicht immer gegen die Vandalen unparteiisch gewesen ist, haben wir auch schon im Laufe der Geschichte zu bemerken Gelegenheit gehabt‘. Aulerus (p. 260) Papencordtii sententiam, Victorem esse saltem in persecutione catholicorum describenda fidelem, reicit atque historico nostro diffidit etiam de rebus catholicis narranti. Zinkius vero auctoritatem Victoris defendit (p. V- IX) neque miratur (p. V), quod silet de virtutibus Vandalorum, quae ab aliis scriptoribus velut a Salviano praedicantur, propterea quod non de dominatione aut gente Vandalorum, sed de persecutione catholicorum scribere voluit. Si vero nihil aliud nisi miserum catholicorum statum ostendere in animo habuit, sine ullo praeiudicio omnia illa, quae ad propositum thema elucidandum non pertinent, praetermittere potuit et debuit. Immo ponderandum est, Victorem Vitensem plus triginta annis postquam Salvianus Massiliensis de gubernatione Dei scripsit, historiam suam composuisse. Infra autem triginta annos multa mutantur. Iam supra ex Malcho demonstravi, Vandalos post obitum Geiserici in omnem luxuriam esse demersos. Grave enim Africae coelum, magna praeda, odium in catholicos effrenabat animos Vandalorum. Sin autem Salvianus Vandalos

laudat, quod subiectos tributis non premunt, quod pudici sunt, quod in Africam transgressi Afrorum vitiis non corrupti sunt, quod non solum ipsi labe non polluebantur, sed providebant etiam, ne alii pollnerentur, quod scorta in connubia verterunt (ex indice Francisci Pauly ad Salvianum de gub. Dei, p. 328, s. v. Vandali), talia Victor de Vandalis repetere non potuit. Victor enim de eis queritur: mariti ab uxoribus separantur I, 25, virgines sacrae contra iura verecundiae tractantur II, 24, Vandali subiectis Romanis parcunt ad utendum servitiis illorum III, 62. Deinde Salvianus Carthaginienses vehementur vituperat (d. gub. VIII, 21), quod monachus aut de Aegyptiorum coenobiis aut de sacris Hierusalem locis aut de sanctis heremis venerandisque secretis ad urbem illorum officio divini operis accedentes contumeliis et maledictionibus excipiebant. Sed castigatione dominationis Vandalicae Carthaginienses catholici conversi sunt. Recte quidem monet Papencordtius (p. 283), persecutione saeviente monasticam institutionem in Africa efflornisse. Etiamsi igitur Victor nonnulla prorsus aliter ac Salvianus depingit, non cogimur ut Victorem studio partium esse adductum ad Vandalos inique diiudicandos putemus. Caeterum historicus noster cum Salviano de causa persecutionis consentit. Salvianus enim censet (l. c. VII, 56), scelera Afrorum, in quos omnia simul improbitatum atque impuritatum genera confluxerint, Vandalos in Africam traxisse. Item Victor Vitensis profitetur III, 70: *‚Quis ignoret haec nobis probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus a mandatis dei et in lege eius nolentibus ambulare?‘*

Postquam de discrimine egi, quod inter Salvianum et Victorem intercedit, redeo ad opinionem supra memoratam, Victorem interdum a veritate obiectiva aberrare. Concedo, mihi quoque historiam primum perlegenti auctorem visum esse nonnunquam facinora Vandalorum in maius extollere. Attamen singula accuratius discutiens nihil maioris momenti in historia inveni, quo auctoritatem Victoris minui censeam. Age nunc singula opprobria inquiramus, quae adversus auctoritatem Victoris proferuntur.

Primam rationem desumunt Papencordtius (p. 369 sq.), Goerres (R. E. p. 271, Z. f. G. p. 10), Aulerus (p. 267) ex eo, quod Victor — et, ut Goerres (R. E. ibid.) allegat, Prosper[1]) Aqu. de

[1]) In Monumentis Germ. hist., auct. ant. tom. IX pars II. p. 477, ‚sacris vasis exinanitas (ecclesias)‘.

Vandalis ecclesias Africae exspoliantibus ita narrat, ut conici liceat, omnia bona ecclesiastica esse ablata I, 5. 12; atque tamen episcopus Deogratias vasa ministerii aurea vel argentea anno 455 vendere potest I, 25. Sed Victor I, 5 de auro et argento ecclesiastico agit, quando Carthago nondum in potestate Vandalorum erat, atque I, 12 de opibus avitis et paternis Carthaginiensium, non de ecclesiasticis. Deinde auctor I, 15. 16 docet, Geisericum ecclesias Carthaginis intra muros cum suis divitiis abstulisse, sed extra muros nonnullas ecclesias catholicis remansisse. Ex his ecclesiis ante muros sitis episcopus Deogratias anno 455 vasa illa depromere potuit. Praeterea arbitrandum est, episcopum Deogratias post electionem suam sibi vasa ad sacra officia necessaria ex eleemosynis populi catholici facile acquirere potuisse. At haec innuisse sufficiat.

Graviorem obiectionem adversus auctoritatem Victoris hauriunt Papencordtius (p. 370), Goerres (R. E. I, 271, Z. f. G. l. c. 40), Aulerus (p. 273) ex numero episcoporum catholicorum provinciae proconsularis. Notitia enim episcoporum provinciae proconsularis (ed. Petschenig. p. 117—119) quinquaginta quattuor episcopos continet. Victor vero I, 29 narrat, tres tantum superesse ex episcopis illius provinciae Geiserici aequalibus. Zinkius (p. VII) quoque concedit hanc difficultatem vix solvi posse, etsi putat non impossible esse, ex grandaevis episcopis quinquaginta quattuor inter annos 481 et 487 esse quinquaginta unum mortuos. Haec tamen solutio eo labefactatur, quod historia nostra et nomina notitiae eodem anno conscripta sunt. Iure autem docet Zinkius (ibid.), Victorem non potuisse Eugenium Carthaginis episcopum inter episcopos ex Geiserici temporibus superstites recensere, quoniam Eugenius anno 458 nondum episcopus fuit, sed demum Hunerico regnante circa annum 480 ordinatus est. Equidem censeo illam difficultatem facile solvi recta hist. I, 29 explicatione. Victor enim minime contendit, tempore, quo scribebat, omnino tres tantum episcopos exstare in illa provincia, sed hos tres superesse ex illis centum sexaginta quattuor episcopis, qui anno 458 provinciam gubernabant. Deinde Victor I, 29 de Geiserico solo scribit, eum interdixisse, ne episcopi provinciae illi ordinarentur, sed nullo verbo contendit, Hunericum patris interdictum porro servavisse. Alios autem episcopos Hunerici temporibus esse ordinatos, ex eo elucet, quod Hunericus initio regni sui

mitior et moderatior in catholicos erat (cf. II, 1). Praeterea Victor II, 23 innuit, Hunericum concessisse per totam Africam, episcopis defunctis alios succedere, dummodo fisco regali quingentos solidos obtulissent. Anno demum 484 Hunericus licentiam ordinandi episcopos vel presbyteros revocavit (III, 8). Ergo Notitia illa episcoporum provinciae proconsularis non pugnat cum nostra historia I, 29.

Aliam obiectionem depromit Goerres (R. E. I, 271. 275, Z. f. G. l. c. 41. 52) ex eo quod Victor, quamquam innuit Vandalos metuentes, ne exempla martyrum ceteros catholicos in fide roborent, martyria vitavisse, tamen docet multos catholicos et Geiserici et Hunerici temporibus pro fide sua vitam amisisse. De temporibus Geiserici Victor haec dicit: I, 10 *,Quanti et quam numerosi tunc ab eis cruciati sunt sacerdotes, explicare quis poterit?'* I, 30 *,Sed etiam martyria quam plurima esse probantur.'* In priore loco Victor cum Possidonio (vita S. Augustini, c. 28) consentit, cuius auctoritatem Aulerus (p. 264) frustra adversus Victorem urgere studet. Apud Possidonium enim legimus: ,cuncta quae potuit exspoliatione caedibus diversisque tormentis, incendiis . . . depopulata est; nulli sexui, nulli parcens aetati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris.' Id ipsum Victor I, 10 contendit neque illos sacerdotes martyres praedicat. Goerres igitur illum locum I, 10 sine iusta causa adhibet ad demonstrandum, Victorem de pluribus martyribus agere, quam reapse fuerunt. Quoniam Victor non tradit, qua ex causa Vandali illos sacerdotes cruciaverint, nescio, ex quo fonte Auleri (p. 264) opinio manaverit, id ex causa politica esse factum. Verum in altero historiae loco (I, 30), Victor contendit, postea martyria quam plurima fuisse. Adversus hanc assertionem Goerres duos historiae locos affert: Theodericus regis filius, ne Armogastem confessorem catholicum capitis damnet, ab Iucundo presbytero Ariano prohibetur dicente: *,Poteris eum diuersis afflictionibus interficere: nam si gladio peremeris, incipient eum Romani martyrem praedicare'* (I, 44). Rex autem ipse archimimum Masculan gladio occidi vetat, *,ne martyrem gloriosum fecisset'* (I, 47). Ad locum priorem respondeo: Ii qui pro fide catholica moriuntur, martyres sunt, sive gladio, sive afflictionibus necantur. Atque illud Iucundi nos docet, Vandalos a caede catholicorum non abhorruisse. Ex utroque loco I, 44, 47 perspicuum est, Iucundo

et Geiserico persuasum fuisse: catholicos plerosque esse ad martyrium paratos. Quod non essent opinati, nisi antea martyria quam plurima fuissent. De temporibus Hunerici Goerres (R. E. I, 275) idem censet ac de temporibus Geiserici: Victorem (III, 26) numerum martyrum exaggerare, cum etiam ea aetate Vandali martyria vitaverint, ut Victor ipse fateatur: *,eos ipsi tortores a sua facie proiecerunt dicentes: ,istos imitatur uniuersus populus, ut nullus ad nostram religionem penitus conuertatur'* (III, 28). Tamen, ut ait Goerres, in historia III, 26 legitur: *,In ciuitate uero Culusitana non ualeo quae gesta sunt nuntiare, quia et ipsam quantitatem martyrum uel etiam confessorum inpossibile est homini supputare'.* Ad hunc locum recte interpretandum opus est investigare, quid illa vox *,uel etiam'* apud auctorem nostrum significet. Quae vox, ut Petschenigius in indice verborum et locutionum recte explicuit p. 172, idem ac ,saltem, minime' significat. Idem docet de voce ,vel' Augustus Engelbrechtus in indice operibus Fausti Reiensis et Ruricii adiecto p. 504 (vel = saltim). Victor igitur, qui nonnunquam vocabula ,martyr' et ,confessor' promiscue adhibet — II, 29 martyres = confessores, II, 34 ad uisendos dei martyres = confessores, III, 28 certamina martyrum = confessorum — vocem *,martyrum'* in nostro loco voce *,confessorum'* restringere et determinare vult. Unde sequitur, ut Victor numerum eorum, qui Hunerico persequente inter tormenta ac supplicia martyrium consummaverunt, minime exaggeraverit.

Aliam rationem Papencordtius (282) et Goerres (R. E. I, 276, Z. f. G. l. c. p. 53 sqq.) in parvo numero eorum reperiunt, quos Hunerico persequente fidem catholicam negavisse historia memorat[1]). Uterque ad concilium anno 487 Romae celebratum provocat, ex cuius actis (Mansi, concil. coll. VII, 1171—4) constare, inter persecutionem Hunerici permultos ad fidem Arianam

[1]) De Geiserici persecutione Goerres (Z. f. G. l. c. 42) dicit: ,Der Erfolg der Geiserich-Verfolgung scheint kein erheblicher gewesen zu sein. Es will freilich nicht viel besagen, dass uns Victor Vit. I c. 16 bezw. I c. 48—50 nur eine einzige Apostatin, die Frau des Bekenners Satirus, namhaft macht; denn wir werden bald sehen, dass er die Zahl der Lapsi der Hunerich-Verfolgung gewaltig, und zwar absichtlich, unterschätzt hat'.

Sed ex eodem historiae loco intelligimus, ,uoluntarie aliquantos' (I, 49) ad Arianismum temporibus Geiserici transisse.

transisse. Tamen Goerres (R. E. I, 277, Z. f. G. l. c. 55) concedit, illum locum historiae (III, 49), ubi narratur, infantulum Carthagine a parentibus esse separatum et a Vandalis invitum rebaptizatum, ex actis illius concilii confirmari. Illud enim concilium inter alia constituit, neque pueros aut puellas, quas aetas excusat, sine poenitentia ad ecclesiam admittendos, sed inter poenitentes sub manus impositione retineri debere, ut tandem communicationis participes esse possint. Papencordtius singulos historiae locos, in quibus nititur, non allegat, sed Goerres urget historiam II, 9, ubi narratur, nonnullis catholicis esse pelliculam capitis cum capillis detractam, ‚*quorum nos plurimos nouimus, nec scimus eorum aliquem tunc etiam poenis urguentibus a recto itinere destitisse*'. Verum Victor hic non de omnibus Africae catholicis, sed de eis tantum agit, qui domui regiae serviebant. Atque de horum haeresi synodus Romana nihil affert. Porro conici licet, partem lapsorum ex eo tempore fuisse, quo Victor historiam iam perfecerat. Accedit quod persecutio Hunerico mortuo non statim abrogata est, sed a clero Arianorum [1]) aliquantum temporis protrahebatur, etsi Gunthamundus rex catholicos non ipse persequebatur. Caeterum Victor non dissimulat, aliquantos ad fidem Arianam defecisse. Nam tribus historiae locis, in quibus Goerres lapsos investigavit, scilicet III, 34. 39. 26, quattuor alii addendi sunt: II, 29, ‚*aliae moriendos diluuio rebaptizationis nitebantur a confessione fidei reuocare*', III, 22 vox ‚*paene*' demonstrat, non omnes in illa civitate fidem servasse, III, 57 ‚*iuuenum, senum, adulescentium atque adulescentularum, puerorum uel etiam puellarum agmina* . . ., *ut infensam sentirent quam negauerant trinitatem*', III, 60 ‚*maior rebaptizatorum perditio*'. Ergo etiam ea obiectio nihil valet.

Inanis quoque est obiectio, quam profert L. Marcus in historia Wandalorum (Paris 1836, p. 320, 322, note p. 65), Victorem nostrum vituperans, quod martyrium Laeti episcopi Neptitani paucis diebus ante conventum episcoporum a rege indictum in

---

[1]) cf. Ruinarti commentarium historicum X, 4, Migne, l. c. p. 416, et Vict. Vit. V, 11 (ed. Ruinart.) Petschenigii lectionem III, 42 ‚cum rege' comprobare dubito. Halmius scripsit: ‚crudelius Arrianorum episcopi, presbyteri et clerici quam rex et Wandali saeviebant (III, 42). Petschenigius (Sitzungsber. l. c. 713. adn. 3) comparativo ‚crudelius' sensum superlativi tribuit.

Kalendas Februarias posuerit, Victori vero Tunnunensi fidem attribuens, qui Laetum VIII Kal. Octobres (die XXIV. Sept.) esse martyrio coronatum refert (Migne l. 68, 946). Sed iam Josephus van Hecke in Actis Sanctorum Octobris (XI, 849, 15, 16) demonstravit, Victorem Vitensem non contendere, Laetum esse paucis diebus ante Kal. Februarias concrematum. Atque merito. Nam apud Victorem Vit. II, 52 legimus: ‚*Fit silentium diebus multis*‘, sc. in illa collatione Carthaginiensi, quae inita est Kalendis Februariis. Inter illos dies multos, qui in mensem Februarium incidunt, Laetus captus est. Sed demum, ‚*post diuturnos carceris squalores*‘ incendio concrematus est. Itaque Victor noster ex libro Victoris Tunnunensis falsi non potest convinci.

Alium historiae locum urget Goerres (R. E. I, 273, Z. f. G. l. c. 48), ubi Victor (II, 12) docet, Hunericum etiam in Theodericum fratrem filiosque eius saevisse. Censet vir litteratus, Geiserico fuisse tres filios, quorum natu minimum, Theodorum, ante patrem nulla prole relicta obiisse Procopius (bell. Vand. I, 5 p. 190) tradit. Sed non intelligo, qua de causa Procopius, qui septuaginta annis post (a. 555) scripsit, melius de sorte Theoderici instructus esse potuerit, quam Victor aequalis filiorum Geiserici. Itaque Papencordtius (p. 112) docet, Hunericum esse familiam Theoderici et Genzonis fratrum crudelissime persecutum, atque putat (p. 430 adnot. 6), verisimile esse, Procopium confudisse Theodorum [1]) cum Theoderico et de morte praematura eius falsum audivisse. Item auctoritatem Victoris sequuntur Felix Dahn (l. c. p. 232), Zinkius (p. 31 adnot. 3), Poetzschius (p. XV).

Aulerus (p. 264), cui Zinkius (p. VII) assentitur, historicum nostrum vituperat, quod stulte fictum provincialium afferat: ‚*Ubi uero munitiones aliquae uidebantur, quas hostilitas barbarici furoris obpugnare nequiret, congregatis in circuitu castrorum innumerabilibus turbis, gladiis feralibus cruciabant, ut putrefactis cadaueribus, quos adire non poterant arcente murorum defensione, corporum liquescentium enecarent fetore*‘ (I 9.). Papencordtius (p. 67) vero hanc ‚miram Victoris narrationem‘

---

[1]) Cum Papencordtio consentit Ferdinandus Wrede in libro ‚Über die Sprache der Wandalen‘ p. 65 sq., qui reperitur in ‚Quellen und Forschungen zur Sprach- und Culturgesch. der germanisch. Völker, 59. Heft, Strassburg-London 1886. Hic ille filius Geiserici ‚Theudarix‘ nominatur.

ita interpretatur, ut doceat, tam multos in munitionibus illis esse confertos, ut morbi periculosi orirentur, quibus Africani inclusi cogebantur, ut se Vandalis dederent. Sed nescio, cur sit impossibile, Vandalos modo barbarico eas munitiones oppuguasse, quas in transgressu exspoliare neque in perpetuum obtinere volebant.

Deinde Aulerus (p. 265) Victorem arguit, quod in historia I, 8—10 a recto ordine chronologico aberrat. Victor enim, qui demum in historia I, 12 narrat, Vandalos Carthaginem urbem in servitutem redegisse, tamen iam in historia I, 8 de aedificiis pulchris in illa urbe per Vandalos deletis agit. Sed Victor ipse I, 8 monet, illam desolationem postea esse factam: ‚*Nam et hodie si qua supersunt, subinde desolantur, sicut ibi Carthagine* . . ‘ Aulerus igitur verba Victoris accuratius inspicere debebat.

Alio quoque loco Aulerus prorsus errat. Innuit (p. 274) enim, duos servos non merito fidei catholicae, sed — sicut Felix Adrumetinae civitatis episcopus relegatus est ob hoc, quod suscepit monachum transmarinum (I, 23) — ideo esse capitis damnatos, quod cum papa Romano (cf. Auler. p. 271) per legatos agant. Atqui apud Victorem legimus: ‚*peruenitur tandem ad ciuitatem Romanam, rogatur episcopus*‘ (I, 37) i. e. pervenitur non ad caput Italiae, sed ad urbem quandam Africae Latinam. (cf. indicem Petschenigii p. 141 s. v. Romana ciuitas.) Etiam Poetzschius (p. XII sq.) Auleri errorem sequitur.

Aliam obiectionem, quam Aulerus (p. 267) ex eo hausit, quod episcopi catholici ‚*qualiter poterant*‘ divina mysteria celebrabant (I, 18), quamquam sollemnitates publicae prohibitae erant (I, 16) (?), Zinkius bene refutavit (p. VII) monendo, similia sua aetate in patria nostra fieri potuisse. Idem quoque temporibus Hunerici factum est, qui ipse fatetur (II, 39), sacerdotes catholicos, ‚*contra interdictum missas in sortibus Uuandalorum egisse*‘, quamquam rex saepius prohibuerat, ne id facerent.

Quis miratur, eos qui miracula in fabulis numerant, Victorem Vitensem vituperare, quod nonnunquam narrat, miracula esse facta? Tamen Goerres (Z. f. G. l. c. 19) ex ea causa Victoris auctoritatem non valde impugnat: ‚Freilich wäre es unbillig, ihn deshalb zu tadeln, weil er, ein echter Sohn des abergläubischen Zeitalters, zahlreiche Mirakel in seine Erzählungen hineingefloch-

ten hat'. Sed Victor opprobrium credulitatis non meretur. Nam ex historia I, 34 ,*Miraculum hoc et uoce omnium celebratur, et nobis, ad quem custodia pertinebat, cum sacramento testatus est ita fuisse,*' intelligimus, Victorem caute de rebus mirabilibus esse percontatum. Immo vero, quod Victor de miraculo Tipasensi narrat, etiam ab aliis auctoribus aequalibus demonstratur. Eduardus Gibbon quidem (übers. v. Beck, IX, p. 19) censet, illud miraculum ab iis tantum credi, quibus persuasum sit, sermonem illorum Tipasensium orthodoxum esse. Goerres [1]) negat se unquam in illud ,putativum miraculum' credidisse. In Actis Sanctorum Octobris (XI, 846) Josephus van Hecke, in periodico ,Stimmen aus Maria-Laach' (37. B. 1889. p. 270—283) Paulus de Hoensbroech miraculum defendunt nixi testimoniis auctorum aequalium consonantibus. Nullo igitur iure ambigitur, confessores illos [2]) expedite esse locutos cum linguae eorum essent amputatae. Victor Vitensis hoc factum explicat ,*spiritu sancto praestante*' (III, 30). Sed Io. Laur. Mosheimius in institutionibus historiae ecclesiasticae (Helmstadii MDCCLV p. 220 § 4) scribit: ,In hac Africana calamitate ipse Deus insigni miraculo Arianos confutasse atque praepotenti voluntate sua effecisse dicitur, ut eorum quidam, quibus linguae tyrannorum iussu exsectae erant, distincte tamen loquerentur, Christique laudes et maiestatem praedicarent. Rem ipsam nemo facile neget: magnis enim testibus utitur: num leges naturae excedat, disputari potest'. De hac altera quaestione adnotat Mosheimius ibidem: ,quae Angli subtiliter ante paucos annos de hoc miraculo disputaverunt. Bibliothèque Britannique Tom. III, P. II, p. 339 s. Tom. V. P. I. p. 171 s.' Schroekhius (l. c. p. 102) sententiam Mosheimii repetit. Guilelmus Smith, novus editor historiae Gibbonianae [3]), explicationem facti naturalem defendit: ,The evidence seems conclusive

---

[1]) cf. Zeitschrift für wissensch. Theologie (Hilgenfeld), 36. Bd., Leipzig 1893, p. 494—511: ,Beiträge zur Kirchengesch. des Vandalenreiches.'

[2]) Etiam in persecutione Diocletiana martyr occurrit, nomine Romanus, qui sine lingua locutus est.

Cf. B. Violet, die palaestin. Märtyrer des Eusebius v. Cäsarea. Texte u. Untersuchungen, herausg. v. O. v. Gebhardt u. A. Harnack. XIV. Bd. Heft 4 p. 13—15, 111.

[3]) History of the decline and fall of the Roman empire. By Edward Gibbon. Vol. IV. London 1862 p. 337 adnot. a.

that the African confessors posseded the power of speech after their tongues had been amputated; but Mr. Twisleton, in his exhaustive monograph, "The Tongue not essential to Speech" (London, 1873), has shown that the fact need not be regarded as miraculous and has brought forward several well-authenticated instances of persons being able to speak after their tongues had been amputated, in which the hypothesis of a miracle is inadmissible. These cases all attested by credible eye-wittnesses, and some of them by eminent surgeons and scientific men of the present day'. Sententia igitur Hoensbroechii: ,Das aber ein articuliertes Sprechen ohne Zunge auf natürlichem Wege nicht möglich ist, wird niemand im Ernste läugnen wollen' repudianda est, cum medici moderni doceant, sermonem aut paululum aut omnino non impediri, dummodo basis linguae integra est. De hac re contuli periodica ,Schmidt's Jahrbücher der in- und ausländischen gesamten Medicin, Jahrg. 1893, Leipzig. B. 238. Nr. 364.': (Es ist bekannt, dass bei der Extirpation der Zunge die Sprache nur wenig leidet, wenn die Basis der Zunge unversehrt bleibt; diese vertritt, Dank der beibehaltenen Muskulatur, mehr oder minder vollständig die ganze Zunge sowohl beim Sprechen, als auch beim Schlucken.) et, Archiv für klinische Chirurgie, 45. Bd., Berlin 1893, p. 774—879. 69 Fälle von Zungencarcinom. Von Dr. Willy Sachs'. In altero periodico ex. gr. de aegroto quinto (p. 833) haec legimus: ,Abtragung der Zungenbasis bis zum Zungenbein. Sprache verständlich.' Arbitrium huius quaestionis ad medicos reicio, cum in arte eorum rudis non audeam diiudicare, num illis confessoribus ipsa basis linguae superfuerit.

Postquam diversas obiectiones, quae adversus Victoris fidem prolatae sunt, reppuli, non est, quod in rebus gravioribus de auctoritate eius ambigamus. Victor enim neque pugnantia tradit neque ex ,fontibus authenticis' falsi convincitur.

VII.

De ‚libro fidei' historiae inserto.

Quis auctor libri fidei fuerit, accurate erui non potest. Victor Vitensis librum fidei ‚nostris' (II, 55) i. e. catholicis episcopis Africae quibusdam tribuit. Codex Laudunensis, in quo liber fidei (cum nominibus episcoporum Carthagine congregatorum) separatim traditus est, Victoris narrationem confirmat hac libri inscriptione: ‚Incipit libellus episcoporum catholicorum ad hunericum regem uuandalorum datum' (ed. Petschenig. p. 46, in lectionibus). Auctores libri fidei semel tantum in numero singulari: ‚dixerim' II, 68, alias semper in numero plurali loquuntur: ‚tenemus, praecipimur, agredimur, credimus, praedicamus, cognoscimus, etc.' Nihilominus continuator Gennadii Massiliensis in capite XCVIII. libri de viris inlustribus (ed. Richardson, p. 95, in ‚Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausgegeben von O. v. Gebhardt u. A. Harnack.' XIV. Band, Heft 1) libellum nostrum unico auctori tribuit: ‚Eugenius, Carthaginiensis Africae civitatis episcopus et confessor publicus, admonitus ab Hunerico, Vandalorum rege, catholicae fidei expositionem et maxime verbi „homousii" proprietatem disserere, cum consensu omnium Africae Mauritaniae et Sardiniae atque Corsicae episcoporum et confessorum, qui in catholica permanserunt fide, composuit librum fidei non solum Sanctarum Scripturarum sententiis [sed et Patrum testimoniis] communitum, et per collegas confessionis suae porrexit.' Quam (Pseudo-)Gennadii sententiam Ruinartus in cap. XII. praefationis hoc modo interpretatur: ‚Certe Gennadius in catalogo ipsius auctorem facit Eugenium Carthaginiensem episcopum, sive quod revera ab ipso edita fuerit, sive quod eius iussu Victor, seu quivis alius eam condiderit, aut tandem quod cum ipse caeterorum omnium primas esset et praecipuus totius Africae antistes, eius sedi et dignitati datum fuerit, quod ab alio quopiam nomine omnium factum fuerat.' Eduardus Gibbon quidem (übers. v. Beck, IX. p. 19 adn. 19) asserit, librum fidei ab illis quattuor episcopis esse conscriptum, qui eum regi obtulerunt. Immo vero Josephus Nirschl (l. c. III, 314 adn. 3) et Bardenhewer (l. c. p. 572) et Ferrerius (p. 22 adn. 1) Gennadii testimonio fulti docent, Eugenium professionem

fidei conscripsisse. Sed illud testimonium me non movet, ut Victori fidem denegem. Victor enim, qui Eugenium eximie veneratur et sanctum appellat (II, 18; III, 40), nos non celaret, Eugenium etiam libro scripto fidem catholicam defendisse. Itaque Victoris assertio fidem meretur. Ut supra (p. 15) dixi, Victor in disputatione Carthaginiensi verba non fecit, quoniam catholici episcopi ex suo numero decem delegerant, qui pro omnibus responderent. Hi decem cum Cyrila patriarcha Ariano et ceteris adversariis agebant, et praevidentes fore, ut Ariani audientiam declinarent, ‚*libellum de fide conscripserant satis decenter sufficienterque conscriptum*' (II, 55). In his decem episcopis fuit Eugenius, qui tum clamavit: ‚*uideat deus uim quam patimur, cognoscat afflictionem persecutionum, quam a persecutoribus sustinemus*' (II, 54). Deinde in his fuisse videntur quattuor illi episcopi, qui librum fidei duodecimo Kal. Maiarum [1]) ad Hunericum direxerunt. Quoniam quattuor hi erant bini ex provincia Numidia et Bizacena, conici potest, binos episcopos e singulis provinciis maioribus Africae esse delectos. Cum inter episcopos Bizacenos (III, 101) delectos Victor episcopus eiusdem provinciae non exstet, sequitur, Victorem inter illos decem non fuisse, id quod iam supra (p. 15) alio modo demonstravi. Illi igitur decem episcopi catholici operam dederunt, ut liber fidei conficeretur. Sed divinare non licet, quis ex illis tractatum scripserit. Mirum est, quod post recapitulationem illam (c. XXI.) factam ad rem absolutam reditur. Quapropter suppono, testimonia ab auctore allata ceteris episcopis non suffecisse. Itaque auctor vel aliquis ex illis decem capitulum vicesimum alterum addidit. Capitulum autem ultimum (XXIII.) non esse ab eodem auctore compositum, ex eo verisimile fit, quod in hoc epilogo locus s. scripturae II. Cor. 13, 13 aliter citatur, quam in cap. undecimo (II, 79). Etenim hic ‚*caritas*', in epilogo autem ‚*dilectio*' legitur. Victor igitur librum fidei non conscripsit neque auctores libri plus minusve, id quod Lironio (Migne l. c. 168) videtur, adiuvit. Quodsi Victor librum fidei sive totum sive ex parte scripsisset, non adeo ‚*satis decenter sufficienterque conscriptum*' librum laudaret.

Restat, ut doceam, quare continuator Gennadii sit inductus,

---

[1]) Tillemontius (Memoires, XVI, 797) falso ‚Martiarum' scribit. Cf. edit. Peschenig. p. VI. adnot.

ut librum fidei Eugenio tribueret. Si ille historiam Victoris Vitensis novisset, librum fidei item ac Victor illis decem episcopis tribuisset. Atque eo progredior, ut dubitem, num ille scriptor librum fidei totum perlegerit, quandoquidem falso dicit, hunc libellum etiam patrum testimoniis munitum esse. Sed non dubito, quin librum fidei in manibus habuerit. Quis autem erat nisi Eugenius, qui exemplaria illius libri in terras exteras miserat? Eugenius quidem iam ante disputationem praeposito regni Vandalici dixerat, se esse paratum, ad episcopos exterraneos et praecipue ad papam Romanum de disputatione scribere (cf. II, 43). Ita fieri potuit, ut Eugenius auctor libri fidei in exteris regionibus vulgo putaretur, praesertim cum primus omnium episcoporum libro nomen subscripsisset.

Quodsi Victor Vitensis librum fidei nequaquam conscripsit, id quod Papencordtius (p. 369 adn. 3) quoque asseruit, tamen huic viro litterato non assentior ibidem ambigenti, Victorem librum fidei in historiam suam recepisse. De qua quaestione Ruinartus in cap. XII praefationis recte disserit: ‚Victor eodem modo fidei professionem historiae suae inserere potuit, quo Hunerici edicta.‘ Sed Papencordtius monet, Victorem, si acta publica afferat, verbis uti introductoriis, velut *‚tali tenore conscriptum‘*, vel *‚tali textu conscripta‘*, vel *‚haec est series datae et propositae legis‘*. Nihil autem horum libro fidei praemitti. Praeterea librum fidei vel in manuscriptis solum per se exstare. Sed etsi noster libellus in codice Laudunensi separatim exstat, inde nihil aliud sequitur, nisi ut compluria exemplaria libri fidei sint conscripta, antequam Victor historiam edidit. Petschenigius in adnotatione prima pag. VI. rationem priorem hoc modo refutat: ‚Ipsum autem Uictorem Librum fidei inseruisse historiae cum per se probabile est — quid enim maioris momenti episcopo catholico quam defensio fidei et refutatio haereticorum? — tum ex auctoris uerbis consequitur. Cum enim in fine libri secundi dixisset *‚nostri . . . libellum conscripserant dicentes: si nostram fidem cognoscere desideratis, haec est ueritas quam tenemus‘*, tertium sic incipit: *‚Qui cum noster libellus legeretur oblatus‘*, quae uerba, si sermonem Uictori usitatum consideres (cf. Indic. III ‚relatiuo adiungitur substantiuum‘), uertas necesse est: Als nun diese von uns überreichte Schrift gelesen wurde.‘ Halmius (p. 25) vero Papencordtium secutus argumentis ab eo prolatis addit: ‚libellum non

continere fidei dogmata brevibus sententiis concepta sed tractatum dogmaticum prolixum de una Trinitate.' Hanc Halmii obiectionem Petschenigius (ibid.) redarguit revocans ad Fulgentii Ruspensis libros ,Contra Arianos' et ,Ad Trasimundum regem Uuandalorum'. Accedit quod Victor, ut supra dixi, historiam suam lectoribus exteris destinavit, ut eos ad consolandum commoveret. Victor autem sciebat, se misericordiam exterorum catholicorum esse facilius excitaturum, si librum fidei episcoporum Africanorum historiae innecteret, ex quo illi fidem catholicam Africanorum cognoscerent.

Postquam de auctoribus libri fidei disputavi, de indole et argumento eius agam. Hunericus rex episcopos catholicos ammonuerat, ,*ut omousion ex diuinis scripturis proprie adprobarent*' (III, 5), quasi sacra scriptura esset unica norma fidei. Quo praecepto commoti episcopi quidam librum fidei conscripserunt, in quo fidem catholicam ita defenderunt, ut ex sacra scriptura demonstrarent, Filium et Spiritum Sanctum esse Patri consubstantialem. Cum temporis intervallum, quod auctoribus praebebatur, non longum esset, non mirum est, eos in scribendo brevitati studuisse, id quod ipsi declarant: ,*breuiter intimare*' II, 56, ,*ob breuitatis conpendium*' II, 76, ,*quantum breuitatis ratio siuit*' II, 74, ,*studio breuitatis*' II, 94. Totus liber fidei, qui in editionibus capita viginti tria continet, ab ipsis auctoribus in duas partes dividitur. Capita priora octo demonstrant, Filium unius esse cum Patre substantiae. Altera pars (c. IX—XII) docet Spiritum Sanctum esse unius substantiae, operationis ac potentiae cum Patre et Filio. Caput XXIII epilogum continet.

Prior pars.

Caput primum introducit in statum causae, quae agitur: Catholici perfectam Trinitatem accipiunt asserentes Patrem ingenitum et Filium genitum et Spiritum Sanctum de Patre[1]) procedentem unius esse substantiae. Verum haeresis (sc. Ariana, quod nomen auctores libri de sententia vitant,) asserit, Filium non de Patris substantia genitum, sed ex nullis exstantibus id est ex nihilo substitisse. Deinde auctores vocem Graecam homousion recte interpretantur et argumentum prioris partis libri ita con-

---

[1]) accuratius: ,ex utroque', ut scribit ex. gr. Faustus Reiensis, ep. 3, ed. Engelbrecht. p. 169.

stituunt: Filius est unius cum Patre substantiae (omousion), cum non ex nihilo, sed ex Patre sit. Testimonia sacrae scripturae in cap. II—VII afferuntur. Caput alterum[1]) et tertium Patris et Filii substantiae unitatem et divinitatis aequalitatem demonstrat. Cap. IV: Dei Filius humanam naturam assumpsit neque a divina natura destitit. Cap. V: Pater Filium non ex nihilo, non ex alia materia, sed de se ipso genuit. Cap. VI: Divina generatio inenarrabilis est, non ignorabilis. Sabelliana haeresis reprobatur. Cap. VII: Substantia geniti atque ingeniti eadem est. Cap. VIII: Generatio divina impassibilis est. Pars prior absolvitur, sed non fit recapitulatio dictorum.

Altera pars.

Cap. IX: Dogma catholicum de Trinitate proponitur: Unus Deus in tribus personis[2]). Cap. X, XI: Demonstratur ex s. scriptura vetere (X), deinde ex utroque testamento (XI), Spiritum Sanctum esse Patri et Filio consubstantivum. Cap. XII—XXII: Spiritus Sanctus est Patri et Filio coaequalis. Etenim creator est (XII), habet praescientiam rerum omnium et occultorum cognitionem (XIII) et potestatem terribilem (XIV), ubique est praesens et implet omnia (XV), habitat in sanctis (XVI), peccatores arguit (XVII), bonus est (XVIII), loquitur sicut Pater et Filius, constituitque Apostolos (XIX) et peccatores consolatur (XX). Cap. XXI: Recapitulatio dictorum de Spiritu Sancto. Sed haec recapitulatio ordinem rerum non servat. Nam ita recapitulatur: Spiritus Sanctus de Patre procedit X § 78, liberat[3]), Dominus est XI § 80 et sanctificat X § 77, XX § 94, creat cum Patre et Filio et vivificat XII, praescientiam habet cum Patre et Filio XIII, ubique est et implet omnia XV, habitat in electis XVI, arguit mundum XVII, iudicat

[1]) Verba Jeremiae 9, 10; 23, 18. 22 nihil valent ad haeresim Arianam refellendam, quoniam in Vulgata aliter leguntur: ‚Non audierunt vocem possidentis.‘ ‚Quis enim affuit in consilio Domini?‘ ‚Si stetissent in consilio meo.‘ Liber fidei eos locos ex LXX deprompsit.

[2]) Etsi pronuntiatur, Spiritum S. esse Filio et Patri coaeternum, tamen nulla testimonia ad hanc assertionem proferuntur.

[3]) Verbum ‚liberat‘ reperitur Rom. 8,2 ‚Lex enim spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis‘, sed in locis s. scripturae, quos liber fidei exhibet, non exstat. Itaque ‚liberat‘ aut additum est aut in ‚liber est‘ mutandum, cf. XI § 82 ‚in trinitate uero dominatio ac libertas‘.

XVII, bonus et, ut hic additur, rectus est XVIII, is est, de quo clamatur ‚haec dicit Spiritus Sanctus' XIX, prophetas constituit XIX, apostolos mittit XIX, episcopos praeficit XIX, consolator est XX, cuncta dispensat prout vult XI § 81, abluit et iustificat XX, temptatores suos interficit XIV § 86, qui eum blasphemaverit, non habet remissionem XIV § 87. Cap. XXII: Additur aliquid fortius: Si infideles Spiritum S. invite confitentur, fideles voluntarie eum adorare debent. Spiritus S. non separatim, sed cum Patre et Filio adoratur. Venerando Trinitatem fideles maiestati divinae nihil addunt, sed sibi gloriam parant. Quare autem fideles non honorificent integre Trinitatem? Cap. XXIII: In fide integra Trinitatis usque ad finem vitae permanere confidimus et speramus. — Hanc spem complures fefellisse, infra demonstrabo.

VIII.

De ‚Notitia', quae vocatur.

Jacobus Sirmondus, S. J., Operum tom. I. p. 430 anonymum catalogum episcoporum catholicorum, qui ab Hunerico rege Vandalorum iussi pro ratione fidei reddenda Carthaginem die Kal. Febr. anni quadringentesimi octogesimi quarti convenerunt, primus edidit sub titulo Notitiae provinciarum et civitatum Africae, ex codice Laudunensi iam laudato. Atque Petrus Franciscus Chiffletius hunc catalogum historiae Victoris inseruit, tribus rationibus commotus. ‚Cum enim, inquit (Migne, l. c. p. 127 sq.), in ea Notitia non sola episcoporum ac sedium nomina recenseantur, sed et in contextu, et ad calcem adnotetur, quid cuique acciderit . . . , haec nemo negaverit ad eum pertinuisse, qui totam eius historiam persecutionis describendam susceperat. Apparet deinde ex veteri codice Sanctae Mariae Laudunensis, in quo ea Notitia sequebatur Rationem fidei ab Eugenio Carthaginiensi aliisque episcopis oblatam Hunerico regi; adeoque descriptioni persecutionis Africanae implexa et illigata erat. Apparet denique ex ms. codice, ex quo Abrahamus Ortelius in Thesauro geographico civitatum Africae nomina ex eadem ipsa Notitia deprompta, passim episcopo Victori ascribit'. Verum Ruinartus Chiffletii sententiam oppugnat (Migne, l. c. p. 267 -270) ratus, notitiam illam, etsi ad Vandalicae persecutionis historiam per-

tineat, tamen a Victore non esse adoptatam, ‚praesertim cum alia monumenta ad idem argumentum pertinentia exstitisse certum sit, quae tamen suae Historiae non inseruit iste auctor, qui multa de martyrum et confessorum praeclaris actionibus se praetermisisse non semel fatetur'. Ruinartus igitur eam Notitiam scorsim a Victoris historia protulit, ‚quod in nullo prorsus manuscripto codice, saltem ex iis qui hactenus nobis sunt noti, Victoris Historiae inserta habeatur. Nec multum nos movet quod Abraham Ortelius hanc Notitiam saepius sub Victoris Uticensis nomine laudaverit. Verisimile quippe est eam in codice Halleri, a quo Ortelius illam acceperat, subiunctam fuisse fidei libello, ut in codice Laudunensi; quem quidem libellum cum Victorinae Historiae partem esse deprehendisset Ortelius, totum simul Fragmentum Victoris appellavit. Eodem pacto Victorem dixit Uticensem, quod nempe in editis eum sic nominatum legisset'.

Equidem conicio, nostram Notitiam ex duabus partibus constare. Pristinam Notitiam efficiunt nomina sedesque episcoporum, additamentum sunt adnotationes illis appositae. Neque Notitia pristina erat opus per se compositum, sed pars libri fidei, quocum in codice Laudunensi exstat. Liber fidei, sicut in editionibus habetur, neque in exordio neque in fine eos nominat, qui fidem in eo prolatam confitentur. Atqui confessio fidei scripta est nulla, si nomina confitentium desunt. Itaque verisimile est, episcopos, quos Notitia continet, ipsos libro fidei subscripsisse. Primum igitur exemplar libri fidei subscriptionibus episcoporum catholicorum insignitum erat. Cum hac assertione non pugnat, quod martyr Laetus Neptitanus in notitia provinciae Byzacenae decimus quartus occurrit, cum Victor II, 52 narret, illum demum *‚post diuturnos carceris squalores'* esse concrematum. Laetus igitur, quem supra (p. 36) demonstravi esse post Kalendas Februarias captum, sive adhuc in libertate constitutus sive in carcere, libro subscribere potuit. Cum continuator Gennadii scribat, Eugenium libellum illum composuisse ‚cum consensu omnium Africae Mauritaniae et Sardiniae atque Corsicae episcoporum et confessorum, qui in catholica permanserunt fide', coniectura mea stabilitur. Nam unde ille scriptor consensum omnium illorum episcoporum comperuit, nisi ex eo quod libro fidei cum Eugenio subscripserant?

Alia quaestio est, num Victor Vitensis nomina quoque suo operi post librum fidei inseruit. De hac quaestione nihil certi

eruitur, cum unus tantum codex manuscr. Notitiae supersit. Sed cum Victor librum fidei adoptaverit, non est, cur opinemur, eum subscriptiones omisisse. Atqui verisimile est, iam coaevos librarios nomina episcoporum ex historia Victoris omisisse, postquam complures ex eis fidem negaverunt. Episcopis relegatis aliquis catholicus in exemplari libri fidei ad nomina sedesque episcoporum qui libro subscripserant, adnotavit, quid illis post collationem Carthaginiensem acciderit, addiditque cathedras, quae episcopos non habuerunt. A posteriore denique librario superscriptio Notitiae addita est: ‚*Incipiunt nomina episcoporum catholicorum diuersarum prouinciarum, qui Carthagine ex praecepto regali uenerunt pro reddenda ratione fidei die KL Februarias anno sexto regis Hunerici*' (p. 117). Etenim notum est, vocem ‚*incipiunt*' propriam esse librariorum. Superscriptionem autem aliquanto postea esse praefixam, ex eo concludo, quod Notitia falso tribuitur anno Hunerici regis sexto. Errat enim Theodorus Mommsen, cum in parte priore voluminis octavi Corporis inscriptionum latinarum (Berolini MDCCCLXXXI, p. XVIII adn. 4) de Notitia haec profert: ‚Scripta est die k. Febr. anno sexto regis Hunerici, id est a. 482 Febr. 1. Nescio quo tralaticio errore Notitia haec plerumque adscribitur anno 484 vel 485'. Immo ex Victoris historia II 39, III 1, 12 eruitur, episcopos anno octavo Hunerici regis Carthaginem convenisse.

Nunc mihi explanandum est, quid adnotationes Notitiae significent. In calce Notitiae numerus episcoporum computatur: ‚*Ac sic fiunt omnes episcopi diuersarum prouinciarum numero CCCCLXXVI*'. Ex quibus perierunt octoginta octo septuaginta, permanserunt trecenti septuaginta octo (cf. ed. Petschenig p. 134). Omnes in eo consentiunt, ad vocem ‚*perierunt*' siglum prbt aliquot nominibus additum pertinere, supponentes, per lapsum calami scriptoris loco ‚periit' in manuscriptum irrepsisse siglum ‚prbt', quod quidem secundum leges scribendi priorum saeculorum non aliter quam de ‚presbyteris' intelligendum esset. Ruinartus (l. c.) putat, esse probabile, illas litteras nihil aliud significare quam: ipsos episcopos, qui tali vocula a caeteris discernuntur, in via periisse. ‚Deinde, pergit Ruinartus, verisimile non est his litteris presbyteros, quod aliquando suspicabar, designari. Non enim presbyteri ad conventum illum venire iussi fuerant; nec tot occurrissent, qui pro suis epis-

copis comparerent, idque non impune tulisset tyrannus'. In Baronii annalibus ecclesiasticis (ed. Theiner. 1876 tom. VIII annus Chr. 484 No. 18) supponitur, illos octoginta octo ,ante conventum Carthaginiensem e vivis excessisse'. Morcellus (l. c. p. 58) tuetur, illos octoginta octo episcopos in itinere ipso aut fame et vexatione in exilio diem supremum obiisse. Papencordtius (p. 373) docet, quoniam in Notitia cathedrae, quae episcopos non habuerunt, seorsim afferantur, illo siglo ,prbt' designari non eos, qui in itinere, sed eos, qui intra annos duos priores regis Gunthamundi obierint. Tillemontius (Memoires XVI, 567) de siglo prbt aliam sententiam protulit: ,Ce mort de peris doit signifier qu'ils estoient morts ou dans le corps ou dans l'ame. Mais il marque bien plutost le dernier sens. Car le respect qu'on doit à des Confesseurs, ne permet guere qu'on dise qu'ils sont peris, quand ils sont entrez dans le repos de la gloire. Ce qui semble nous devoir determiner absolument à ce sens c'est que celui qui avoit souffert (c'est à dire assurement qui estoit mort Martyr), est mis au nombre de ceux qui estoient demeurez. Et c'est une assez grande gloire pour l'Eglise d'Afrique, que de plus de 560 (?) Evesques, il ne s'en trouve que 88 qui aient cedé à une persecution aussi horrible que celle là, ce qu'on n'a point vu ni dans celle des Ariens sous Constance, ni dans celles des Monothelites et des Iconoclastes'. Eduardus Gibbon idem arbitratur (übers. v. Beck 9 p. 9). Papencordtius vero, quem ille Tillemontii locus effugisse videtur, censet, Gibbonis sententiam esse tam miram, ut eam non in textu afferat, sed in adnotatione (5 p. 372) reponat. Morcellus (p. 58) Tillemontio hoc modo adversatur: ,Neminem quippe ex omni episcoporum numero, qui tantam maculam susceperit, usquam memorat Victor, a quo tota illa malorum series accurate explicata est; idemque e contrario senes quosdam et infirmos ab equitatu Hunerici contritos tradit, quibus eam notam appositam merito credas, ut aliis fortasse non minus, qui fame aut vexatione cruciati circa exilii tempus interierant. Attamen Tillemontii opinionem sequor. Primum Victor nihil de morte complurium episcoporum narrat. Neque conicere possum, post historiam compositam infra duos annos esse nonaginta fere episcopos mortuos. Deinde verbum pereundi saepe significat ,a fide deficere', id quod ex his historiae nostrae exemplis cognoscitur: ,II, 23 *ne fidem perderet*, II, 30 *perditurus*

es animam, II, 51 *perdite et reprobe, . . . ad modicum gloriari et in aeternum perire,* III, 36 *ad testimonium tuae perditionis; perdidisti militiae clamidem,* III, 39 *Teuchario perdito,* III, 47 *indicium perditionis,* III, 60 *rebaptizatorum perditio,* III, 63 *ut et animas perderet'.* Aliquantos autem episcopos ad Arianam fidem transisse, demonstratur ex actis synodi Romanae supra (p. 34) memoratae. Idem apparet ex epistula a papa Gelasio anno 496 ad episcopos Dardaniae data: ,Ecce nuper Honorico regi Uandalicae nationis, vir magnus et egregius sacerdos et Eugenius Cartaginensis episcopus multique (non ,omnes') cum eodem catholici sacerdotes constanter restitere saeuienti cunctaque extrema tolerantes hodieque persecutoribus resistere non omittunt, (Corp. script. eccl. lat. vol. XXXV pars I epist. XCV § 63 pag. 391).

,Pereundo' oppositum est ,permanere'. Auctori adnotationum ante oculos versabatur finis libri fidei: *,fides nostra, ... in qua nos per gratiam dei omnipotentis permanere usque ad finem uitae huius confidimus et speramus'.* Auctor autem sciebat non omnes in fide catholica permansisse. Itaque addidit, quot perierint scil. rebaptizatione, quot permanserint scil. in fide catholica. Verbum autem permanendi non significare ,in vita perdurare', ex eo consequitur, quod martyr Laetus in iis reputatur, qui permanserunt. Eundem usum habet verbum permanendi in his historiae nostrae locis: ,II, 51 *ego in nomine Christi catholicus permaneo,* III, 10 *in hac pernicie permanerent,* III, 13 *in eodem errore permanserint.'* Addo exemplum ex Fausti Reiensis epistula (ad Lucidum presbyterum, ed. cit., p. 163): ,intra matris ecclesiae gremium permanere.' Si vero Victor Vitensis scribit, aliquem inter vivos perdurare, verbum ,remanere' vel ,superesse' usurpat: ,I, 29 *supersunt,* I, 35 *moritur ipse . . . , remansitque domina uidua,* II, 14 *supererat,* II, 25 *remanserunt,* III, 57 *remanserunt, supererat.'* De adnotatione *,non occurrit'* iam supra (p. 11) disputavi.

Ex illis trecentis septuaginta octo, qui in fide catholica permanserunt, quadraginta sex *,Corsicam relegati'* (cf. III, 20 *in Corsicanam insulam relegati)*, trecenti duo *,hic relegati'* sunt (cf. III, 20 *relegati colonatus iure),* duodetriginta *,fugerunt'* (cf. I, 29 *persecutionem fugiens),* unus *,passus'* (cf. II, 52 *unum . . . , nomine Laetum, . . . concremauit),* unus *,confessor,*

est. Ruinartus (praef. VIII, Migne l. c. 147) de hic relegatis dicit: ,ii ipsi mihi videntur esse, de quibus, testante Fulgentii Vitae auctore cap. 4, Hunerici tyranni persecutores astuta malignitas ordinaverat, ut iuxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinerent. Talis fuit Faustus Praesidiensis episcopus, qui ut ibidem dicitur, non longe a sua cathedra relegari iussus fuerat.' Papencordtius (p. 374) perperam contendit, inter historiam Victoris et Notitiam multas contradictiones intercedere: Ex. gr. Notitiam unum martyrem et unum confessorem, Victorem vero multos eorum afferre. Sed Victor ipse non nisi de uno episcopo martyre narrat, id est de Laeto Neptitano II, 52. Episcopi autem, qui pedibus equorum violati sunt III, 16, ,*contriti*' sunt i. e. vulnerati, non necati. Quod autem unum confessorem Notitiae attinet, luce clarius est, hoc confessoris nomen non sensu vulgari accipiendum esse, ut arbitremur, illum unum episcopum esse fidem catholicam contra edictum Hunerici confessum. Omnes enim illi episcopi fere quadringenti, qui in fide catholica permanserunt et idcirco ecclesiis, domibus, substantia exspoliati (III, 15) relegatique sunt, iure confessores appellandi sunt. Gennadii quoque continuator episcopos illos nominat confessores. Notitia vero, cum post martyrem recenseat confessorem, hoc ordine ostendit, eum post collationem episcopalem vexatione exilii esse mortuum.

Libri, quos pluries citavi, hi sunt:

Acta Sanctorum Augusti, tom. quartus. Parisiis et Romae 1867.

Acta Sanctorum Octobris, tom. undecimus. Parisiis et Romae 1870.

Auler, August, Victor von Vita, in Hist. Untersuch., Arnold Schaefer gewidmet. Bonn 1882, p. 253—275.

Bardenhewer, Otto, Patrologie, Freiburg i. B. 1894.

Dahn, Felix, Die Könige der Germanen, München 1861.

Deutsche Zeitschrift f. Geschichtswissensch., herausg. v. L. Quidde, 10. Band, Jahrg. 1893, II., p. 14—70: Kirche und Staat im Vandalenreich 429—534. Von Franz Görres.

Ebert, Adolf, Allg. Gesch. d. Litt. d. Mittelalters im Abendlande. I. Band. Zweite Auflage. Leipzig 1889.

Fabricii, Jo. Alberti, Lipsiensis Bibliotheca mediae et infimae aetatis . . . denuo emendata et aucta. Tom. V. Florentiae 1858.

Ferrère, F., de Victoris V. historia pers. Afric. prov. historica et philologica commentatio. Parisiis 1898.

Gibbon, Ed., Gesch. des Verfalls u. Untergangs d. röm. Reichs; aus dem Englischen übers. v. Christ. Dan. Beck. Leipzig 1805. 9. Teil.

Kraus, F. X., Real-Encyclopädie d. christl. Alterthums. I. Band. Freiburg i. B. 1882.

Migne, Patrologiae series latina, tom. LVIII. Parisiis 1847.

Morcelli, Steph. Antonii, Africana Christiana, pars I., Brixiae MDCCCXVI.

Nirschl, Jos., Patrologie und Patristik. III. Band. Mainz 1885.

Papencordt, Felix, Geschichte der vandal. Herrschaft in Afrika. Berlin 1837.

Pötzsch, W., Oberlehrer, Victor von Vita und die Kirchenverfolgung im Vandalenreiche. Döbeln 1887. (Progr. No. 514.)

Tillemont, Memoires pour servir à l'histoire ecclesiastique des six premiers siècles. Paris 1712. Tom. 16.

Curriculum vitae.

Festo Ascensionis Domini, VI. Idus Maias anni 1866 ego, Albertus Schönfelder, filius mercatoris Josephi Schönfelder eiusque uxoris Mariae, e gente Riebartsch, Vratislaviae natus sum. Postquam Gymnasium regium catholicum Vratislaviense per annos septem menses sex frequentavi, mense Maio a. 1886 civibus Universitatis litterariae Viadrinae Vratislaviensis apud Facultatem theologicam catholicam adscriptus sum. Primo anno studiorum academicorum in legione decima miles fui, ut lege patria sancitum erat. In studiis operam praecipuam navabam antiquitati christianae et interpretationi s. bibliorum Hebraicorum. Professores academici Bittner, Commer, Frantz, Friedlieb, König, Krawutzcky, Laemmer, Müller, Probst, Scholz me theologia, O. Erdmann, Hertz, Studemund philologia instruxerunt. Mense Octobri a. 1889 in seminarium clericale Vratislaviense receptus et IX. Kal. Jul. a. 1890 ordine presbyteratus initiatus sum. Deinde usque ad Februarium a. 1892 Riegersdorfii in Silesia Superiore, postea Lignitziae capellanus fui. Qua in urbe cum simul magisterio religionis in Gymnasio urbano fungerer, examen magistri superioris subii et Kalendis Juliis a. 1892 absolvi. Anno 1893 vertente in vicum Trautliebersdorf translatus sum parochiae administrator. Inde a m. Aug. a. 1894 parochus sum in Marchiae Brandenburgicae vico Rentschen. Anno praeterito historiam edidi Sororum misericordiae e Trebnicensi Congregatione S. Caroli Borromaei. Mense Martio huius anni Facultati supra memoratae dissertationem de Victore Vitensi episcopo tradidi, qua approbata examen rigorosum pro doctoratu SS. Theologiae a. d. VII. Idus Jun. superavi. Omnibus praeceptoribus meis optime de me meritis atque admodum reverendo Prof. Maximiliano Sdralek, cuius opera et consilio multum in historia ecclesiastica profeci, gratias ago quam maximas.